PHILOSOPHIAE MORALIS
INSTITUTIONES

RAPHAELIS PACETTI

PRESBYTERI ROMANI

TOMUS SECUNDUS

TRACTATUS II. PARTICULARIS

De officiis.

EDITIO ALTERA EMENDATIOR ET AUCTIOR
ADDITA QUOQUE
AD SCHOLASTICARUM EXERCITATIONUM USUM ACCOMMODATA
TOTIUS OPERIS SYNOPSI.

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA BONARUM ARTIUM
1846

TRACTATUS II PARTICULARIS
DE OFFICIIS.

RATIO TRACTATIONIS ET OPERIS PARTITIO.

In primo tractatu generali potiora de actuum humanorum moralitate criteria posita sunt: superest modo, ut in hoc particulari tractatu de hominis officiis singillatim disseramus. Recolenda hic sunt ea, quae de officii definitione, et de varia ejus indole ac partitione alias declarata sunt. Omnis actio vel omissio libera, quam ex imposita obligatione morali agere vel omittere debemus, hominis officium appellatur. Cum autem omnia legis naturalis praecepta eo generali ethico criterio contineantur, scilicet *jura cujusque servato adamussim*; cumque jura alia sint Dei propria, alia nobis, alia ceteris hominibus concessa et sub legis naturalis tutela posita: hinc triplicis generis officia nascuntur, alia adversus Deum, alia adversus semetipsum, alia adversus ceteros homines servanda; quae omnia tribus distinctis partibus seorsim pertractabimus. In singulis vero partibus de officiis agam, tam *absolutis*, quae essentialibus et inalienabilibus cujusque juribus respondent, quam de *hypotheticis*, quae ex aliquo legitimo facto acquiruntur. Quoniam vero officia adversus Deum, et propter eorum dignitatem omnibus antecellunt, et ad reliqua officia cognoscenda ac factitanda, tamquam fundamentum necessaria sunt; hinc ab iis merito capienda sunt exordia.

PARS PRIMA

DE OFFICIIS ADVERSUS DEUM

Omnes deliberati hominis actus rectae rationis dictamini consentanei, omnia officia sive seipsum, sive ceteros homines respicientia, cum in obsequium legis a Deo sancitae exhibeamus, omnia in Dei cultum accenseri quodammodo possunt. Verum hujusmodi justitiae et honestatis actus indirecte tantum et mediate in Deum referuntur. Sunt autem et alia peculiaria officia, quae constituunt virtutem *religionis* proprie dictae, ea inquam officia, quae directe et immediate Dei jura intuentur et servant; in quo pietas consistit, et justitia adversus Deum (1).

Porro religio duas habet partes, quarum prima comprehendit officia *theoretica* de recta Dei notitia adipiscenda; altera comprehendit officia *practica* de Deo sancte colendo. *Primum est*, ait Epictetus, *Deum nosse; consequens colere*. De utrisque ergo separatim.

CAPUT I.

DE OFFICIIS ADVERSUS DEUM THEORETICIS.

Maxima hominum pars nimis magnum studium, multamque operam in sua negotia peragenda conferunt: atque etiam in summis ingeniis permultos pene mori videmus in studio dimetiendi coeli atque terrae, aut in ceteris disciplinis, et cognitionibus adipiscendis: rerum vero divinarum (quasi nihil magni in eis sit, nihil pulchri, aut nostra nihil intersit) negligentes admodum esse, et in maxima ignoratione versari.

(1) « Quid est enim pietas nisi justitia adversus deos? » ait Tullius l. 1. de nat. deor. c. 41.

Quam *negativam* impietatem *praescindentes* philosophi sua doctrina valde confirmant, qui quamlibet moralium cum theologicis disciplinis essentialem relationem negantes, nullam legis naturalis obligationem in iis ediscendis agnoscunt. Impudentissime vero Hobbius non solum negligentes in studio religionis, sed vel ipsos atheos impia *positive dogmatizantes* a quavis injustitiae labe immunes facit. (Elem. de civ. c. 14. §. 19.)

Itaque cum hujusmodi sive practicus sive dogmaticus religionis contemptus et Dei juribus, et universae vitae degendae rationi maxime inimicus sit, diligenter est nobis refutandus. Quare primarium adversus Deum hoc officium esse affirmamus.

Quae ad religionem pertinent studiose omnibus naturae lege ediscenda sunt.

Et re quidem vera: directum et immediatum religionis objectum Deus est. Religio enim proprie importat ordinem ad Deum; cum ea virtus sit, quae efficit, ut quae Deo debentur officia, studiose ab homine exhibeantur. Jamvero naturae legem officia religionis cum absoluta, tum hypothetica (quae vel essentialibus Dei attributis, vel juribus ex revelationis et reparationis facto acquisitis respondent) homini praestanda imponere, indubia res est, deque his singillatim inferius agam. Si qua enim sunt naturalia hominis officia, talia scilicet quae ex hominis natura et naturalibus ejusdem relationibus eruantur, ea certe in primis censenda sunt, quae supremo rerum omnium auctori, gubernatori, ac beneficentissimo reparatori Deo a creatura rationali debentur. Verum haec religionis officia, quae relativa sunt aut juribus Dei absolutis, aut facto acquisitis, et suae voluntatis decreto sancitis, neque cognosci neque praestari ab homine possunt, nisi jura ipsa recte cognoscantur : quippe amussis religionis est vera Divinitas et certa ac vera Dei jurium et voluntatis cognitio : secus enim superstitio, irreligiositas, et impietas haberetur.

Praeterea homo, qui natura sua ad socialem et moralem vitam factus est, tunc primum imputationis et moralitatis fit capax, cum ei moralis legis quae ejusdem libertatem obligat, perspecta sit existentia ac vis. Jamvero cum ex demonstratis (Trac. I. Sect. II. c. 3.) legis naturalis notio essentialiter connexa sit cum cognitione Dei legislatoris, remuneratoris et vindicis; sequitur rectam divinae existentiae et providentiae notionem, omnibus hominibus necessariam esse adeo, ut cognoscere et adimplere sua quaeque officia naturalia possint.

Quamquam autem Dei omnia moderantis idea sit ex primis illis veritatibus, quae sicut solis radii oculis apertis et bene conformatis, ita ipsa menti humanae vix rationis usum adeptae evidenter se prodit; attamen certum itidem est, omniumque saeculorum experientia comprobatum, non solum in minuta plebe, verum etiam in hominibus doctis, absque diligenti, et constanti ac bene instituto studio et meditatione, rectam Dei notitiam acquiri non posse, aut turpiter depravari et evanescere, inanemque prorsus fieri ad homines in officio continendos.

Itaque ut summatim omnia concludamus: si recta et viva Dei ejusque jurium cognitio necessaria omnino est ad officia religionis cognoscenda ac debitum Deo honorem et reverentiam exhibendam; si item eorum quae ad praecellentem Dei naturam et religionem pertinent intima et certa persuasio est, ut ita dicam, anima totius vitae moralis, sine qua omnis honestas et justitia et moralitas tollitur: si denique ad rectam ac vividam rerum divinarum cognitionem adipiscendam necessarium prorsus est bene institutum et constans religionis studium ac meditatio, qui dubitari potest, primarium hoc esse legis naturalis praeceptum omnibus absolute impositum? Qui enim jubet finem, jubet etiam medium ad eumdem necessarium.

Quae cum ita sint, quid esse potest absurdius, quam in maximo religionis negotio *indifferentismum* sive practicum,

sive speculativum et dogmaticum profiteri ac sequi? Practicus namque *indifferentismus* et oscitatio impotenti licentiae habenas relaxat. « Ideo (inquit Lactantius l. 5. Inst. c. 8.) mala » omnia rebus quotidie ingravescere, quia Deus mundi hujus » effector; et gubernator, derelictus est; quia susceptae sunt » e contra, quam fas est, impiae religiones ». Dogmaticus vero *indifferentismus*, quo quaelibet religionis professio bona et retinenda censetur, praeter relatam morum depravationem, hoc etiam habet absurditatis, quod sanis logicae criteriis e diametro adversatur. Etenim vera religio nonnisi una esse potest. Quare commiserari, et tollerare invincibiles hominum errores et sapientis et humani et prudentis aliquando esse potest; profiteri autem hoc principium, *quamlibet religionem aeque bonam et retinendam esse*, prorsus antilogicum est. Quis queso nisi stultissimus hoc in quavis disciplina criterium veritatis statuat, ut indifferens sit utrum retineatur aliqua doctrina, an alia diversa et opposita? Idem esse animam spiritualem et liberam vel materialem et fato obnoxiam profiteri? idem esse euclidiana theoremata rata et perspecta habere, vel in ignorantia aut erroribus oppositis hebescere?

Qui vero atheismum vel epicureismum vel alia falsa dogmata in vulgus disseminant, ii non modo impii et iniquissimi Dei numini perduelles, sed societati quoque humanae infensissimi sunt inimici. *Pietate enim adversus Deum sublata, fides etiam et societas generis humani, et una excellentissima virtus justitia tollitur.* Quare magis etiam quam sicarii aut latrones, patriaeque rebelles aqua et igni interdicendi sunt: *qui enim bellum fovet intestinum et horrendum* (ajebat Nestor. (Il. IX. vv. 63. 64.) *is sine tribu, sine lege, sine lare esto*: quod autem pestilentius bellum esse potest eo, quod hujusmodi homines insidiose inferunt societati humanae, omnia divina humanaque jura permiscentes?

Absolutum legis naturae praeceptum de religione naturali excolenda recentiores deistae agnoscunt, et hoc unum vehementer inculcant, posthabito, imo rejecto alio gravis-

simo ejusdem legis naturalis *hypothetico* praecepto, quod ex facto divinae revelationis enascitur.

Equidem unam tantum religionem veram agnosco, eam scilicet, quae in quavis vitae hujus conditione rerumque vicissitudine omnibus et singulis hominis indigentiis plenissime satisfaciat. Ea autem nulla alia est, aut esse posset, nisi christiana, divinitus revelata, et ab infallibili Ecclesiae tribunali Christifidelibus pro opportunitate declarata, et quasi in manus tradita. « Religio (ait sapientissime Galluppius » Elem. di Filos. to. 5. c. 8.) est praecellens illud divinae be» neficentiae, donum, quo nos ad virtutem felicitatemque per» ducat. Ea duo dogmatum genera nobis annuntiat huic du» plici objecto pernecessaria: aliud continet veritates, quas » ratio ipsa nobis suggerere possit; aliud comprehendit dog» mata, quae sunt supra rationem. Dogma providentiae, im» mortalitatis animi humani, recta morum praecepta, sunt » totidem primi generis veritates: dogmata redemptionis, et » divinae Mediatoris naturae sunt dogmata ad genus alterum » pertinentia. Porro beneficium revelationis quoad primi ge» neris dogmata in eo est, ut quae ratio humana quodam» modo suggerit, ea confirmet, positivo modo anuuntiet, san» ctione sua muniat, et quamcumque de his veritatibus du» bitationem omnino tollat. Aliis vero dogmatibus divina » revelatio defectum supplet, quo ratio humana in quibusdam » summi momenti veritatibus omni nos prorsus lumine de» stitutos relinquit, affectionesque nostras recte componens » omnibus humani cordis desideriis abunde satisfacit ».

Itaque divina revelatio non solum aliena non est a rerum naturalium ordine, et veluti philosopho indigna a suo examine seponenda non est, quod contra putant recentiores naturalistae; sed adeo in oeconomia naturae includitur, ut si eam tollas, homines qui in naturali systemate principem obtinent gradum, nec in suo ordine retineri, nec ad praestitutum finem tendere unquam possent. Enim vero ut res humanae bene se habeant, atque homines recta incedere pos-

sint via, necessarium omnino est, ut omnes et singuli facile et sine ulla errandi formidine perspecta et rata habeant ea omnia, quae ad moralem vitam recte degendam, ad suum ultimum finem, et ad media ei necessaria pertinent. Atqui illae ipsae veritates sive de Deo, sive de morum disciplina per rationem investigatae, nonnisi a paucis, et per longum tempus, et cum admixtione multorum errorum, et persaepe non sine gravi ambiguitate haberi possent: cujus rei omnes vel maximos ethnicos philosophos testes locupletissimos habemus. Cetera vero quoad humani generis reparationem, et peccatorum expiationem, aliaque bene multa rationi humanae impervia, sed homini scitu necessaria, prorsus incognita forent. Quibus omnibus una divina revelatio, ab Ecclesiae magisterio viva et infallibili voce omnibus veritatem audire volentibus annuntiata et explanata remedium afferre potest.

Jam vero si Deus quaedam credenda quaedam facienda positiva revelatione praeciperet, quae opportuna quidem, sed non omnino ad salutem necessaria essent; tamen Dei vocem et mandata reverenter accipere et ediscere quisque deberet, ut divinae voluntati obtemperaret; multo magis ergo divina haec revelatio, quae doctrinam omnibus omnino necessariam continet, non solum philosopho, sed cuilibet homini summa diligentia ac studio exquirenda, et retinenda est: his enim veritatibus imbutae mentes haud sane abhorrebunt ab utili et vera sententia: hisce autem sublatis, nulla virtus, nulla salus consistere potest. Igitur et reverentia Deo debita, et amor sui ordinatus hoc hypotheticum legis naturalis praeceptum de religione revelata studiose ediscenda omnibus aperte declarat.

Hic vero duplex objectio occurrit, altera ex Dei providentia in populos revelationis lumine carentes, altera ex summis etiam philosophis ac theologis, quorum multi deteriores moribus fuerunt, quam ipsi rudiores ethnici. Quoad primum enim Deus male consuluisse videtur tot gentibus, quas per plura saecula in ignoratione rerum, quae ad virtutem et salutem prorsus necessariae sunt, reliquerit.

Cui in primis respondeo: certum est, posita divina revelatione eo modo et oeconomia, quam superius dixi, manifestata, et inter homines tradita, res humanas optime procedere posse; ea sublata, male omnino se habere: idque cum ex demonstratis evidens est, tum ex historia idololatriae, falsarumque sectarum plenissime confirmatur. Ex altera vero parte certi quoque sumus de summa Dei sapientia ac bonitate in mundi hujus administratione, et gubernatione. Sin autem ob mentis nostrae brevitatem forte ignoremus quo nam pacto istae errorum tenebrae cum beneficentissima Dei providentia concilientur, exclamare deberemus « O altitudo sa» pientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt » judicia ejus, et investigabiles viae ejus! » (Rom. 11. 33.) Non inde autem recte concluderetur, aut necessitatem revelationis negandam esse, aut de divina providentia blasphemandum. Etenim logicae criteriis prorsus repugnat, veritates certo et evidenter demonstratas deserere ac negare ob quasdam difficultates ab iis distinctas, quae dissolvi nequeant, scilicet ob ignorantiam.

Verum animadverti debet, divinam revelationem non tunc primum factam fuisse, cum reparationis mysterium completum est et Evangelium per orbem diffusum. Etenim praecipuae veritates, quae ad Dei naturam, mundique creationem ac providentiam, quaeque ad Dei cultum, morumque disciplinam pertinent, nec non promissiones de beneficentissimo humani generis Reparatore vel a mundi exordiis primo omnium hominum parenti Adamo a Deo revelatae et factae sunt. Quamquam vero multi ex ejus filiis ac nepotibus in desideria carnis abeuntes a via veritatis recesserint, tamen haec omnia a justis ac *filiis Dei* fideliter custodita sunt. In generali autem hominum depravatione et destructione divinae revelationis depositum alteri humani generis stipiti Noe et filiis ejus integrum concreditum a Deo est, ut in varias humanae generationis propagines transmitteretur. Quod aliis porro Patriarchis Abrahamo, Isaaco, Jacobo renovatum et con-

firmatum est, donec per Moysen divinae hujus haereditatis testamentum scripto traderetur, a ceteris populi hebraici ducibus, sacerdotibus, aliisque viris spiritu Dei afflatis custodiendum ac illustrandum. Tandem quae multifariam multisque modis patribus per prophetas annuntiaverat Deus, novissime locutus nobis in Filio, ea omnia confirmavit, promissionesque complevit. Neque filios incredulitatis, qui corruperant viam suam, rursus perdere voluit, sed benignissima miseratione eos, qui sedebant in tenebris et in umbra mortis, revocavit in admirabile lumen suum.

Quae cum ita sint, si quis huic benigno lumini oculos clauserit, vel ob malos mores justa Dei punitione orbatus eo sit, quis Dei judicium reprehendat? Quoad eos autem, qui absque sua culpa in tenebris errorum forte nati sint, certum est, *Deum impossibilia non jubere, sed facientibus quantum in se est non denegare gratiam*, sive per internas illustrationes, sive per alia externa media, quae illi infinita praesto sunt; neminemque damnatum iri ex eo quod ignoraverit, quae scire nequiverit, aut invincibiliter ignorans quod facto opus sit, id non fecerit.

Quid modo de altera objectione dicam ex depravatis sapientium moribus desumpta? Haec difficultas nullius certe momenti in re nostra est; sed potius viam nobis demonstrat ad perutilem veritatem determinandam. Recta religionis notitia est illa quidem conditio necessaria ad universam vitam moralem, non autem in ea sola vitae honestas consistit. Necesse enim est, non modo ut haec cognitio recta sit, sed multo magis requiritur, ut recta intentione comparetur, atque usui studiose accomodetur. Multi praestanti ingenio viri aut discendi cupiditate ducti, aut partium studio, aut etiam turpi quaestu, aut misera ambitione laborantes, qui de se praedicari volunt, sublimia de religione perquisierunt: sed inflati opinionibus *evanuerunt in cogitationibus suis*, et traditi sunt in desideria cordis eorum. Non autem de hac scientiae subtilitate et vanitate hic sermo est; verum de illa religionis

notitia, quam omnes juxta cujusque intelligendi vim, et investigandi rationem ac media, quae sibi praesto sint, attingere possint: ad quam non curiositas, non ambitio, non ulla cupiditas; sed amor purae veritatis nos trahit, quo humiliter simpliciter et fideliter haurire studeamus quae ad Dei honorem et ad morum emendationem pertinent. Unde fit, ut multo melior judicanda sit modica sed solida et vera rustici hominis doctrina in simplicitate cordis quaesita et comparata, quam scientiae subtilitas et alta verba ambitiosi sapientis, quae non faciunt hominem justum et honestum. « Sentite de Domino in bonitate (ait Sapientia I.), et in simplicitate cordis quaerite illum: quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum; apparet autem eis, qui fidem habent in illum: perversae enim cogitationes separant a Deo ... Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis ». Enim vero in hoc Dei bonitas merito commendanda est, *qui idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum*, non solum doctis, sed omnibus viam salutis planissimam fecerit, dummodo recto corde eam quaerant. Itaque haec recta et solida religionis notitia juxta cujusque vires studiose quaerenda et comparanda est. Quoniam vero ad philosophiae bonarumque artium cultores praecipuae hic sermo nobis est, admonere praestat, qui scientiis et politioribus disciplinis animum excolunt, eis ex naturae lege pleniorem, et scientifico modo hanc religionis notitiam comparandam esse. Nam *cui plus datum est plus requiretur ab eo.* Qui autem in ceteris disciplinis addiscendis critico judicio et subtili indagatione procedere solent, ii, nisi fundamenta religionis firma et perspecta habeant, in maximo moralitatis et religionis negotio instabiles forent, ac circumferrentur omni vento doctrinae : praesertim cum in suis studiis persequendis libros veneno infectos legere, aut homines falsis opinionibus imbutos prava et impia disseminantes audire eis facile contingat: a quorum fallaciis et sophismatibus praecavere et praemunire se accurate debent,

ut eorum *rationabile sit obsequium fidei*, et de ea rationem reddere cuique valeant.

Porro recta religionis notitia scientiarum alumnis studiose quaerenda ad haec capita reducitur: ut primum sana psychologiae et theologiae naturalis criteria habeant: tum ut *motiva credibilitatis* factum divinae revelationis critice demonstrantia, nec non verae Christi Ecclesiae *notas*, quae a ceteris falsis sectis eam secernunt, probe noverint: ac demum doctrinam divinitus traditam in simplicitate cordis diligenter ediscant (1).

(1) Ad haec omnia facile ediscenda penes nos catholicos passim suppetunt libri usui accommodatissimi a summis viris exarati. Atque hic non abs re erit, quatuor veritates ad universum theologicae rei criterium firmandum, quas praecellens mihi magister, et amicus carissimus inculcare saepe consuevit, veluti per aphorismos recensere. Haec itaque cuique non insanienti philosopho dogmatica sunto.

I. *Omnia philosophiae systemata sunt essentialiter theologica.* Hominis enim mens causalitatem in summa causa ponit. Idque in absurdis quoque atheorum systematibus verum esse convincitur: qui quamquam supremi numinis existentiam aut providentiam verbis inficientur; re tamen vel in natura vel in praepotenti quadam vi omnia movente et gubernante primam rerum omnium causam ad libitum statuere coguntur.

II. *Vera religio nonnisi una esse potest*; ut conformis sit ordini, rerumque naturae. Absurditas autem *indifferentismi* in facto religionis cuique manifestissima fiet, si idem ceteris quoque scientiis, disciplinis et artibus aptetur; omnia namque per eum perdita atque eversa videbis.

III. *Dei Revelatio in naturae oeconomia necessario includitur*: sine qua in praecipua systematis naturalis parte, scilicet in homine, juxta praesentem humanae naturae conditionem, maxima confusio et defectus exitialis haberetur.

IV. *Inter omnes mundi religiones illa vera censenda, quae naturae facto apprime respondeat, idest omnibus hominis indigentiis plene satisfaciat.* Haec autem nonnisi catholica est: etenim, praetermissis etiam praeclarissimis *notis*, quae eam veluti urbem in excelso monte locatam distinguunt, satis esse potest ad orthodoxae religionis veritatem detegendam, si practice sive in te, sive in aliis experientiam sumas. Qui enim omnia quae divina haec religio docet ac jubet, studiose tenent et servant, iis in quolibet vitae casu et conditione opem cumulatissime afferri: omniaque quaecumque faciant, aut patiantur converti in bonum, tamquam manu palpabis.

CAPUT II.

DE OFFICIIS ADVERSUS DEUM PRACTICIS.

Sicut *theoretica* officia adversus Deum, ita *practica* bifariam distribui debent, in *absoluta* nempe et *hypothetica;* quare duobus distinctis articulis de ipsis agam.

ARTICULUS I.

De practicis officiis adversus Deum, quae absoluta *dicuntur.*

§. I. *De Deo sancte colendo.*

Quisquis Dei existentiam denegat, is procul dubio ex animis hominum extrahit radicitus religionem. Sed idem certe dicendum de philosophis illis, qui male de natura Dei sentiunt, ac praesertim de ejus providentia. « Sunt enim (ait » Tullius De nat. deor. l. 1. c. 2.) philosophi et fuerunt, » qui nullam habere censerent humanarum rerum procura- » tionem deos. Quorum si vera sententia est, quae potest » esse pietas? quae sanctitas? quae religio? Haec enim om- » nia pure atque caste tribuenda deorum numini ita sunt, » si animadvertuntur ab his, et si est aliquid a diis immor- » talibus hominum generi tributum. Sin autem dii neque » possunt nos juvare, neque volunt, neque omnino curant, » nec quid agamus animadvertunt, nec est quod ab his ad » hominum vitam permanare possit: quid est, quod ullos diis » immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? » Et quamvis de sanctitate, de pietate adversus deos libros scripserit Epicurus; tamen, ut ait idem Tullius, ludimur ab homine non tam faceto, quam ad scribendi licentiam libero:

veriusque est, nullos esse deos Epicuro videri; quaeque de diis immortalibus dixerit, invidiae detestandae causa dixisse: cum enim homunculis similem deum fingeret, lineamentis dumtaxat externis, nihil autem cuiquam tribuentem, nihil gratificantem, nihil curantem, nihil agentem; re quidem sustulit, oratione reliquit deos.

Itaque neque athei, neque deistae epicurei providentiae impugnatores *directe* hic refutandi sunt. In praesentia res nobis est cum iis philosophis, qui, supposita Dei existentia et providentia, negant, ex legis naturalis obligatione Deum sive interno sive externo cultu esse colendum. Ii autem sunt in primis omnis *praescindentium* turba, qui officia adversus Deum, si qua sunt, philosopho morali inquirenda non esse ajunt; sed ad ordinem supernaturalem et ad theologiam pertinere. Quod criterium et falsum omnino est, et religionis contemptum inducens, universaeque moralitati exitiale. Dein vero praeter nonnullos e Protestantium familia (Vide J. Schwarz Inst. I. P. U. p. I. to. III. instr. I.) omnes recentiores deistae seu naturalistae cultum quidem Dei internum summis efferunt laudibus, eumque necessarium asserunt: externas vero, quas dicunt, religionis *formas*, omnes aut prorsus contemnunt et abjiciunt, aut variabiles et indifferentes habent. Contra hosce igitur errores hanc thesim defendendam propono.

Deum tum internis, tum externis actibus colere lege naturali omnino jubemur.

Mens humana (ait Baco De augm. Scien. l. 1.) « causarum dependentiam, seriem, et concatenationem, atque » opera providentiae intuens, secundum poetarum mythologiam (Homer. Iliad. 8.) facile credet summum naturalis » catenae annulum pedi solii Jovis affigi ». Quocirca novit quod Deus sit, quod rerum habenas tractet, quod summe potens, quod sapiens, quod praescius, quod remunerator, quod vindex. Posita autem recta existentiae et providentiae Dei notione, illico infertur, Deum interna mentis animique ve-

neratione sancte colendum; scilicet recognoscendam homini esse snpremam Dei mentem et potentiam a quo omnia pendent et gubernantur, grati animi sensa exhibenda, gratiamque maximam babendam bonorum omninm fonti, eumque super omnia amandum, ejus numen reverendum, reformidandas punitiones, speranda virtutis praemia. Hi quidem similesque interni hominis actus necessario Dei attributis ac juribus respondent. Idqne non ab alia, quam sibi fingunt *praescindentes* pbilosopbi supernaturalem a naturali diversam, sed ab ipsa justitiae et honestatis lege praescribi, evidentissime apparet. Lex qnippe naturalis edicit, *jura cujusque et naturales relationes servato adamussim.* Jam vero si ob naturalem, qnae inter homines intercedit, relationem, et ob proprietates singulis tributas, lex ista naturalis jura parentis, amici, principis, ceterorumque bominum sarta tectaqne servanda esse statuit; multo magis ergo pietatem adversus Deum colendam esse jubet, quae ob naturalem et essentialem dependentiam creaturae rationalis a rerum omnium auctore et gubernatore necessario debetnr. Nibil igitur in Dei jura sentire aut moliri, sed mentem ei devotam habere lege naturali omnino jubemur.

Alterum adversariorum genus cnltus Dei interni bonestatem, necessitatemqne magnopere commendat; in eoque veram pietatem consistere « spiritns (enim) Deus est, et eos, » qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare ». Virtus enimvero non in materialibus corporis actibus, sed in animi sensu est; neque illis Dens opus babet. Externas vero religionis *formas* aut inanes, ridiculas et vitiosas ducnnt, quippe quae ex populornm ignorantia ortae templorum pomparnmque apparatu ambitioni, luxuriae, sensuum oblectamento et hypocrisi inserviant: aut saltem indifferentes, mutabiles, nec ulla legis naturalis obligatione sancitas esse ajnnt.

Ne autem deistarum fallaciis a statu qnaestionis distrahamur, et sophismatibus circumferamur, rectam hic cultus

externi notionem determinare debemus. Itaque dico, vitia *accidentalia*, quae ex hominum ignorantia aut malitia in *formas* religionis, seu in externum cultum irrepere possint, secerni debere a cultu ipso per se considerato, et recte intellecto. Vitia autem ista duplicis generis sunt; primum, si *formae* seu signa adhibeantur Dei attributis indigna et repugnantia: alterum si *formis* et signis per se honestis non respondeat rectus animi sensus, utpote cum quis religionis specie ad hypocrisim ac homines decipiendos utatur, vel nullo pietatis sensu in iis externis significationibus ducatur; sed veluti qui personam sacerdotis in theatro gerit. Itaque de illo cultu externo nos tantummodo loquimur, qui perfecte cohaereat cum recta de Deo persuasione ac veneratione; et ab ista dumtaxat moveatur, eique inserviat; uno verbo, cultus externi nomine nihil aliud intelligimus quam *venerationem mentis Deo devotae externis signis manifestatam*: hanc dicimus honestam, utilem, commendabilem, imo lege naturali omnino servandam.

In primis vero ad dicteria illa adversariorum refutanda, quibus incautorum et pusillorum animi facile hallucinari possunt, dum passim et indiscriminatim externos quosque religionis actus contemnendos, inutiles, et ridiculos traducunt; quaero ab hujusmodi sapientibus: quis, nisi desipiat, inficiari possit, cultum externum, si recto interno pietatis sensui respondeat ab eoque informetur, honestum, Deo dignum, et perutilem esse? Nonne aequum rationique consentaneum dicemus, hominem, qui ne dum animi, sed etiam corporis facultates a Deo accepit, et utraeque ab eo conservantur, non solum anima sed etiam corpore suam subjectionem, reverentiam ac pietatem Deo contestare? (1) Sin autem hone-

(1) Hoc validissimum *congruentiae* argumentum nonnulli philosophi inconsulto afferunt ad cultus externi *obligationem* demonstrandam. Verum frustra contra recentiores Deistas agunt: qui ultro concedent, hominem grati animi sensum debere Deo ob corporis, ceterorumque externorum bonorum largitionem: negabunt vero ex legis naturalis obligatione hominem per haec instrumenta suae gratitudinis, et dependentiae sensum materialiter exhibere debere.

ste utiliterque facit philosophus, qui veritates quas mente tenet aliis communicat; si filius vel amicus, qui grati animi signa parenti vel amico rependit: si maximus patriae liberator, conservator, benemeritus omnium linguis, literis, monumentisque merito decoratur; inhonesta, irridenda, et inutilia haec et similia dicemus, cum rerum omnium domino, largitori, conservatori, parenti optimo tribuantur? Certe nemo unquam reprehendit summos illos Graeciae poetas, qui sua carmina religioni consecrarunt. Quis non potius summopere moveatur in sublimibus Aeschili de divinitate conceptibus? quis non admiretur et laudet, non dico Platonem, cujus universa sapientia hymnus supremo Numini censenda est; sed illos etiam philosophos, qui in rerum naturalium indagatione, et meditatione inhaerentes identidem supremi moderatoris sapientia perculsi in ejus laudes erumpunt? Quis Newtonum irrideat, qui Dei Numen adorans non solum summis laudibus effert, sed totis etiam artubus contremiscit?

Dico autem praeterea hujusmodi externum cultum non solum honestum, et commendabilem esse; sed ab omnibus naturae lege omnino servandum. Est enim medium necessarium quo cultum Dei internum in nobis habeamus et conservemus. Animus siquidem noster adeo cum corpore sensibusque externis copulatus est, ut in praesenti vita absque eorum ministerio nulla facultas, nullus animi actus eliciatur, exerceatur, conservetur, perficiatur: sine voce, gestu, scriptura, numeris, figuris, aliisve signis neque rationis usus, nec scientiae ullae, aut artes, nec actus humani ulli haberentur. Igitur ut in nobis cultus Dei internus habeatur, et conservetur, usus externi organi necessarius omnino est. Atqui primus naturae lege absolute praecipitur: ergo et alter.

Porro aliud perillustre argumentum ad cultus externi necessitatem ex eo petitur, quod religio externe manifestata et exculta est essentiale vinculum ac fundamentum societatis humanae. Enim vero religio est basis societatis.« Facilius urbem « condi (ajebat Plutarchus contra Colotem) sine solo posse pu-

« to, quam opinione de diis penitus sublata, civitatem coire « aut constare » : haec summorum philosophorum omnium et legislatorum sententia est; in hoc increduli ipsi consentiunt, et in primo tractatu a nobis abunde demonstratum censeo. Jam vero nisi externis actibus exerceatur religio, non solum nulla esset pietas in animis civium seorsim consideratis, ut primo argumento demonstratum est; sed nec fundamentum et vinculum sociale esse unquam posset. Quomodo enim in societate vigeat religio, membraque omnia inter se consociata et colligata teneat, nisi externo cultu manifestetur et communicetur? Ea enim legibus firmitatem, fidei publicae tutelam, officiis omnibus socialibus munimentum dare debet. Atqui ad ea, quae societati servandae sunt necessaria, singuli homines lege naturae omnino obligantur: ergo Deum ne dum internis, verum etiam externis actibus colere lege naturali omnino jubentur.

Demonstrata itaque thesis nostra est quoad utramque partem et cavillationes omnes adversariorum radicitus evulsae. Sed quae ratione demonstravimus, ea naturae facto mirifice confirmantur. Officium enim hoc naturale, ut perspecte animadvertit Genuensis (Diceos. l. I. c. 6. §. 2.) pluribus in circumstantiis ex ipso naturae nostrae fundo pullulat, seseque prodit. Cur enim in magnis phaenomenis Deum suspicimus? Cur in maximis vitae periculis divinam opem invocamus? Cur infirmitatibus et adversitatibus oppressi supplices oculos manusque in coelum tollimus? Est iste barbarorum quoque et silvestrium populorum mos ac sensus. Est igitur ipsa naturae vox et instinctus, qui sicut infantes ad matris ubera impellit, ita creaturas rationales ad Deum quaerendum, colendumque ducit. Atque hinc est, ut nulla unquam gens neque tam immansueta neque tam fera fuerit, quae templa, aras, dies festos, publicas supplicationes non habuerit « Si terras obeas (repetam Plutarchi verba) inve« nire possis urbes muris, literis, regibus, domibus, opibus, « numismate carentes . . . Urbem vero templis, diisque de-

« stitutam, quae precibus, jurejurando, oraculo non utatur; « non bonorum causa sacrificet; non mala sacris avertere « nitatur, nemo unquam vidit ».

Neque dicat Thomasius, factum hoc gentium de cultu Deo debito jus naturae non probare. Etenim nos argumento hoc ad confirmanda ea quae ratione demonstrata sunt tantummodo utimur: consensus autem iste cum non sit mera opinio valde diffusa, sed consensus prorsus *communis* semper ubique ab omnibus retentus, inter naturae judicia jure accensendus est: quamvis autem *a posteriori*, solide tamen veritatem confirmat. « Apud nos enim (dicam cum Seneca ep. « 117) veritatis argumentum est aliquid omnibus videri ».

Scholion I. Nullum praecise locum, aut tempus, aut modum, aut peculiares actus ad Dei cultum exhibendum ratio praescribit. Haec autem in genere naturae lex est, ait Justinus Martyr: *Templum Dei est orbis, cor ara, sacrificium amor.* Amor iste cetera comprehendit, et est veluti radix omnium actuum religionis, quibus fit elevatio mentis in Deum, et quibus eum supremum omnium Dominum adoramus, ei pro beneficiis susceptis gratias agimus, eum propitium nobis reddere studemus, ejusque opem imploramus. In *oratione* inquam et *precatione,* quae in varios quoque extrinsecos actus erumpit, cultus Dei proprie exercetur. « Summa vero precum « erit (ait Genuensis De jure et officiis l. 1. c. 7. §. 11.) « *fiat voluntas tua.* Qua in re est in ipsis ethnicis, quo pu- « dere nos possit. Siquidem illi nec mane domo exibant, « nec quidquam operis aggrediebantur, nisi Deo invocato, « συν Θεῳ, ut pluribus docet Feithius in antiquitatibus Ho- « mericis. Praecipuum in precibus officium est, ut *caste ad* « *Deum accedas,* sunt enim Διος κουραι *Dei filiae,* ut ait Ho- « merus. Quam legem et Cicero in sua Republica sanxit, « et est praecipua in lege Christiana. (Jacobi 3.) *Petitis et* « *non accipitis, eo quod male petatis.* Cur ita? Quia petitis, « *ut in concupiscentiis vestris insumatis* ».

Qua in re non ab Ecclesiae Patribus et doctoribus, ne-

que a divina Christi precationis formula; sed ab ethnico philosopho perillustre documentum perscribere juvat. Seneca enim ubi dixisset (ep. 10), primum rogandam a Deo esse bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis, addit. Tunc scito esse te omnibus cupiditatibus solutum, cum eo perveneris, ut nihil Deum roges, nisi quod rogare possis palam. Vide ne hoc praecipi salubriter possit. *Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat; sic loquere cum Deo, tamquam homines audiant.*

Scholion II. Quamquam nullum praecise tempus, locus, et modus, nullique peculiares actus in externo Dei cultu et religionis *formis* exhibendis sola ratione determinentur; sed eas omnes indiscriminatim ratio probet, quae rectis de Deo notionibus et juribus respondent; haec tamen magna ex parte Deus ipse sapientissima dispositione *positive* praescripsit. Multa enim Deus in veteri testamento Abrahamo, Moysi, David, Salomoni, aliisque tradidit et sanxit de aris, de sacrificiis, de taberuaculo, de templo, de sacerdotio, de precationibus, de festis diebus ceterisque ritibus inviolabiliter servanda: quae omnia et religionem naturalem, et praeparationem ad futura redemptionis mysteria complectebantur.

Tandem in plenitudine temporum Divinus Reparator suas implens promissiones omnes orbis gentes in unitatem fidei et cultus advocavit, ut *fieret unum ovile et unus Pastor:* atque universae Ecclesiae statum ita conformavit, ut una omnium esset fidei professio, una omnium linguarum concors Dei adoratio, et de eodem omnes visibili sacrificio participarent, iisdemque sacramentorum mysteriis uterentur sub regimine Episcoporum, uni supremo capiti veluti centro adhaerentium, quos sui vicarios et mysteriorum Dei dispensatores fidelibus reliquit.

Porro pia mater Ecclesia, cui rerum divinarum custodia, et administratio ab ipso Deo concredita est, quo fidelium mens *adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem extollatur,* ritus quosdam et ceremonias instituit cum

in solemni sacramentorum administratione, et publicis supplicationibus, tum multo magis in perillustri ac divino religionis christianae sacrificio studiose retinendas, uti *mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa ex apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem extollerentur.* (C. Trid. Sess. 22. c. 5.)

Itaque quaedam earum, qnae in religionis cultu adhibentur *formae*, quippe quae ab ipso Christo institutae, et ad religionis dogmata et ad necessaria salutis media pertinentes, immutabiles prorsus sunt; aliae autem ad disciplinam spectantes nonnisi ab infallibili Ecclesiae auctoritate sancitae, et pro rerum opportunitate positae sunt, quas et fidelibus, et singulis quoque Pastoribus nefas sit immutare. Haec quidem omnia (etiamnum videre licet quod saeculo II ajebat Irenaeus) « Ecclesia, quamvis in universum mundum » disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inha- » bitans, et similiter credit his, videlicet, quasi unam ani- » mam habens, et unum cor, et consonanter haec predicat, » et docet, et tradit, qnasi unum possidens os ». (L. I. adversus haereses).

En ergo summa, quae desiderari possit in cultu Dei sive interno sive externo religionis perfectio, quam recentiores deistae sub vano et commentitio *progressus* et *perfectibilitatis* praetextu potissimum impetere in animo habent, ut una cum externa fidei professione, ceterisque religionis christianae ritibus, essentialia et augustissima dogmata ac mysteria, quae in iis continentur, temerario ausu depravare et perdere enitantur.

§. II. *De non simulanda ac mentienda religione.*

Quidam haeretici, *Elcesitae* nuncupati, ad gravissima damna, mortem praesertim declinandam, licere putaverunt religionem simulare, et contra mentis persuasionem, quam quis falsam agnoscat religionem exterius profiteri. Hi a Cornelio summo Pontifice in Concilio romano damnati sunt. Similia in Alcorano traduntur. Sed hisce praetermissis, quid philosophi hac de re senserint, nobis potissimum considerandum est,

Error hujusmodi de simulanda religione ad philosophos nostrae aetatis proprie pertinet, qui dedita opera eum insinuare student. Quamquam, et apud veteres summi nominis philosophos falsum hoc dictamen practice usurpatum videmus. Exemplo sit Tullius, qui polytheismi absurditatem satis cognoscens ac de unitate supremi Numinis persuasus, ut epistolas ad Atticum, et opera ejus philosophica legenti clare patet; tamen populum alloquens vulgari de diis opinione utens eum in superstitione confirmat: quin imo in libris de legibus liturgiam singulis patriis diis exhibendam sanxit. Simili modo sese passim gerebant ceteri philosophi, legislatores, Imperatores.

Recentiores vero Deistae opinionem hanc de licite simulanda quandoque religione tanta ingenii subtilitate et sophismatibus adornant, ut incautorum mentes veritatis specie perfacile in suam sententiam adducant.

Cum autem thesis, quam defendimus, negativa sit; quatenus quod Deistae affirmant licere, nos negamus: hinc satis nobis erit eorum argumenta refellere. Itaque primum tota adversariorum argumentatio exponenda est: tum errores ac fallaciae exsolvendae; denique ad veritatem plenissime demonstrandam thesim oppositam positiva ratione demonstrabimus, scilicet *simulationem religionis semper impietatis crimine notandam esse.*

Itaque Deistae in primis distinguunt *internum religionis*

sensum a *formis religionis*, quibus exterius manifestatur: primus (ajunt) verus et rectus est; aliae plus minusve imperfectae, variabiles, vel indifferentes, quae diversae hominum conditioni, et culturae gradui ac progressui conveniunt. Quibuscumque nominibus variae orbis gentes Divinitatem invocent, vel unam omnibus perfectionibus praeditam profiteantur; vel singula Dei attributa plures deos faciant; sive hac, sive illa materiali forma eos sibi repraesentent et colant; sensus religiosus semper verus est; quo in supremam causam omnes feruntur, ejusque providentiam venerantur. Preces quas fundunt, sacrificia latreutica, eucharistica, propitiatoria, impetratoria, quamquam in se et materialiter accepta rudiora sint et imperfecta; tamen sicut diversae voces et linguae, ita haec sunt *signa conventionalia*, ab incunabulis accepta, quibus suo exprimendi modulo quaeque natio naturalem erga Deum venerationem significet ac foveat. Quapropter Deus, qui impossibilia non jubet, quique non materiales hominum significationes, sed cor intuetur, gratum habet sensum hunc internum, quo quis inanium deorum numen ex inculpabili errore invocat et adorat: quemadmodum caecus gratissimum viro sibi benefico faceret, si gratias quam plurimas ageret, et omnia bona precaretur alteri viro, vel etiam belluae, aut lapidi, quem ex oculorum defectu suum benemeritum putaret.

Quae cum ita sint; vir sapiens rectum Dei cultum interius exteriusque servabit non solum privatim, sed etiam palam cum inter verae religionis cultores versabitur: inter rudiores vero populos commorans, qui *formis* religionis imperfectis utuntur; prudenter dissimulabit, tolerabitque inculpabiles errores; quin imo, cum opus fuerit ad plebem in officio continendam, praesertim princeps, aut legislator, aut quisquis in republica auctoritate polleat; religioni ac civitati optime consulet, ac suo officio recte fungetur, si sensum religionis rectum in iis populis alat et confirmet, utens ex necessitate *signis ac formis* externis materialiter erroneis. Ita disserunt Deistae.

Ut hujuscé criterii falsitas penitus detegatur, vera a falsis accurate discernenda sunt, et verborum aequivocationes determinandae, ut seponantur a praesenti disputatione ea quae aliena prorsus sunt, neque nobis ullo modo officiunt; quae omnia ad fucum faciendum ab adversariis congeruntur.

Itaquè in primis dico captiosam et falsam omnino distinctionem illam, quam veluti totius criterii fundamentum ponunt, cum sensum internum religiosum, quem verum et rectum ajunt, segregant ab externis religionis *formis*, quas variabiles et falsas esse contendunt. Distinctio isthaec ita ab iis intellecta veritati repugnans est. Etenim externa religionis professio aliaeque formae sunt signa idearum et sensuum qui in animo habentur: *formae* igitur externae, si imperfectae et erroneae sunt, vitium animi demonstrant. Est igitur e. g. in idolorum cultore, primus et radicalis ille impulsus, illa naturae vox et sensus, quo omnes creaturae rationales in Deum feruntur, quo sensu neminem, nisi rationis lumine privetur, carere posse censent sapientes: una autem cum hoc primitivo impulsu ac recto sensu multa alia judicia et opiniones falsae, erroresque maximi in ejus mente insunt.

Porro procul dubio constat, errores omnes noxios essè, multorum aliorum errorum et malorum causam: *non potest arbor mala bonos fructus facere:* ideoque humanae mentis *perfectibilitati* et progressui, de quo Deistae nostri tantopere solliciti sunt, omnino opponuntur: in religionis autem negotio errores perniciosissimi sunt. Etenim, si verum est, quod nemo sanae mentis philosophus in dubium revocabit, totius moralitatis fundamentum esse religionem, nullamque dari viam ad felicitatem cum praesentis tum futurae vitae ab honestate ac virtute separatam: sequitur, sublata aut vitiata supremi Numinis notione, moralitatis etiam conceptum corrumpi, effraenemque licentiam maximo cum publicae privataeque rei detrimento dominari debere. Quae enim honestatis justitiaeque idea, qui virtutis amor, quod fraenum ad vehementes animi perturbationes comprimendas in eo esset, qui

Deum sibi ad libitum fingeret, non omnibus praesentem faceret, in plures deos separaret humanis affectibus agitatos, neque pro meritis praemia et poenas impertientes? Ethnicae superstitionis historia, ut alia mittam, satis edocet, quot quantorumque malorum causa sint errores omnes qui rectam divinitatis ejusque providentiae ideam corrumpunt.

At enim ignorantia, erroresque sunt humanae conditionis inevitabilis miseria. Tolerabit igitur vir sapiens, et dissimulabit, falsas at invincibiles populi opiniones, ut timor ac veneratio alicujus supernaturalis causae eum quodammodo in officio contineat.

Respondeo, iis verbis *dissimulare*, *tolerare*, in sensu Deistarum prolatis aequivocationem maximam includi, duplicem sententiam complectentibus, quarum altera ad rem nostram non facit, altera absurda omnino est. Nam *dissimulare* et *tolerare* religionem plerumque intelligitur *negative*, scilicet de non impedienda aliorum falsa religionis professione, vel de non manifestanda inter impios ac persecutores vera religione quam quis habeat: idque juxta varias circumstantias potest esse vel illicitum, cum nempe ex nostra dissimulatione et conniventia *subtraheretur honor Deo debitus*, *et utilitas proximo impendenda*; vel licita aliquando est verae religionis occultatio, vel commendabilis et de consilio, quandoque etiam necessaria, cum nempe grave et certum sive nostrum sive aliorum spirituale discrimen immineret, aut cum profiteri veram religionem idem esset ac *sanctum dare canibus*, *et projicere margaritas ante porcos*. Verum totum hoc criterium de negativa religionis dissimulatione ac tolerantia adiaphorum prorsus est a praesenti disputatione, et omnino omittendum: ideo vero his verborum aequivocationibus utuntur adversarii, ut vocabula *tolerare* et *dissimulare*, quae rectam significationem habere possunt, convertere facilius, et extendere valeant ad tolerantiam et dissimulationem *positivam*, seu potius *simulationem;* idest licere dicant aliquando religionem, quam quis falsam noverit, exterius profiteri, aut

quam veram sciat, denegare; quod nulla de causa licitum esse unquam potest.

Et sane quae nam causa effingi potest, qua censeatur, cessare praeceptum hoc naturale de non neganda exterius religione, quam veram quis noverit? Duae potissime afferuntur. Primum Elcesitae aliique ajebant, cum praeceptum de recta externa religionis professione non violanda colliditur cum alio gravissimo de conservanda propria vita, tunc, retenta intrinsecus vera religione, in quo vera pietas consistit, posse exterius eam simulari. Recentiores vero Deistae nervosius etiam instant. Effingunt enim Principem de vera religione plene persuasum, cujus subditi alicui falsae religioni tenacissime inhaereant. Jam vero ajunt: praecipuum summi Imperantis officium est, qua meliori ratione possit religionem in civitate constabilire: ergo hoc in casu nullum aliud medium ei praesto est, quam falsam populi religionem sancire et fovere. Si enim contra invincibilem civium persuasionem ageret; aut quamvis religionis reverentiam destrueret, aut ad teterrimam rebellionem civitatem accenderet.

Ad utramque difficultatem primum ita respondeo; praeceptum de suae vitae cura in privatis, et de cura civitatis in Principe, est praeceptum *positivum;* praeceptum autem de non profitenda falsa, aut de non mentienda vera religione est *negativum:* atqui canon est omnibus moralistis perspectus et tamquam axioma habitus, *leges vetantes in conflictu praevalere debere praecipientibus in quovis ordine et relatione.* Ergo praeceptum de non simulanda religione praevalet. Quoad Principem praeterea addo, posse in praesentia negative se habere, et tolerare inveteratam populi superstitionem, atque interim mediis indirectis prudenter viam praeparare ad errores paulatim evellendos, et verae religionis notitiam sensim insinuandam: nunquam vero sine maximo impietatis crimine ei licebit, superstitionem positive approbare et fovere.

Et ut rem generali ratiocinatione complectar, dico. Nulla unquam dari potest causa, nulla rerum vicissitudo, qua

liceat, dicere in corde suo non esse Deum, temere ac superbe ejus attributa inficiari, imperfectiones illi tribuere, eum contemnere, odisse; uno verbo nulla excogitari causa potest, qua interna impietas unquam licita sit, et a gravissimo crimine immunis habeatur: haec adversarii nostri concedunt, et alias demonstrata a nobis sunt. Quibus positis merito concluditur, nullam dari posse causam, ut qui prudens et sciens religionem simulat a gravissimo impietatis crimine immunis esse unquam possit. Etenim si in iis, qui ex invincibili errore et ignorantia falsam religionem profitentur, impietas est tantum *materialis*, et non imputabilis; qui vero prudens et sciens superstitionem et blasphemias asserit, confirmat, fovet, in eo externa haec impietas cum interna necessario conjuncta est, et formali impietatis crimine se polluit. Itaque et contra Dei jura audacissime agit, et pessime consulit societati humanae. Nam si errores ob invincibilem ignorantiam populo non imputantur; non tamen undequaque innocui censendi sunt, imo ut superius dictum est, errores omnes, praesertim vero in religionis negotio, societatis bono magnopere adversantur.

Juvat hic alio quoque palmari et perillustri argumento rem confirmare, scilicet ex communi omnium hominum sensu circa veracitatem, et mendacium. Omnes gentes approbant, summisque laudibus efferunt homines simplices et apertos, qui nihil ex occulto, nihil ex insidiis agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimicos, etiam si aliquid incommodi ex veritatis revelatione sibi forte eveniat. Sin autem id in minoribus negotiis, multo magis in maximi momenti veritatibus summopere commendatum ab omnibus videmus. Et ut de veracitate in facto religionis praecipue loquar; certe perillustre est Anaxagorae nomen, et ab omnibus summis laudibus celebratur, quippe qui exilium, bonorumque omnium jacturam perferre maluit; quam sublimissimam illam de unitate et simplicitate Dei veritatem, quam primus inter ethnicos philosophos docuit, turpiter desereret. Quid dicam de revelatae religionis

cultoribus, qui infinito propemodum numero Christi fidem suo sanguine confirmarunt? Hoc verae virtutis exemplum adeo commendatum semper apud omnes fuit; ut ex Martyrum constantia praecipue religionis christianae propagatio repetenda sit. Atque ad haec usque tempora illud Tertulliani *semen sanguis christianorum* renovatum videmus. Etenim qui in crudeli persecutione, quae fervet in regnis Imperio chinensi adiacentibus Tunchino, et Concincina, martyrium fecerunt, et faciunt, maximo incitamento sunt ad augendum quotidie magis fidelium numerum. Ipsique persecutores et carnifices, quamquam errorem, ut ipsi stulte putant, commisereantur, eorum tamen firmitatem, et magnanimitatem admirantur et laudant.

Quin etiam infensissimi quique religionis nostrae hostes, frustra licet, conati tamen sunt quosdam superstitionis aut incredulitatis pseudo-martyres fanatico furore correptos proferre. Adeo firma omnibus semper persuasio fuit, verae virtutis indicium esse, veritatem mente cognitam praesertim in religionis negotio quacumque de causa retinere. Contra vero vafri homines, mendaces, fraudulenti, hypocritae omnium execratione, et odio refelluntur. Et si qui sunt philosophi qui aliquo in casu mendacium, quod vocant *officiosum*, permittant, nemo tamen unus nec philosophus nec vulgaris homo noxium mendacium non omni vituperio damnandum, censet. Igitur communis etiam omnium hominum sensus sophisticam recentiorum Deistarum doctrinam apertissime reprobat.

ARTICULUS II.

De practicis officiis adversus Deum, quae hypotetica *dicuntur*

Duo potissimum officia practica adversus Deum *hypotetica* in jure naturali considerantur, *votum* nempe et *jusjurandum*. Qui enim hos actus perficit, is peculiari religionis vin-

culo ad quaedam officia in Dei honorem servanda obligatur. De utroque breviter.

Apud ethnicos quoque in more positum fuit, ut ob maxima a Deo suscepta beneficia, ob victorias relatas; vel ad supremi numinis opem implorandam, ad bostes profligandos, ad gravissima quaeque mala arcenda, templa, hecatombas, spolia opima aliaque bujusmodi Jovi, Marti aliisque numinibus voverent, promissionisque religione se obstrictos, maximique criminis reos, et gravi punitione dignos putarent, nisi quae promiserant vota solvissent. Et jure meritoque. Votum enim rite peractum perfectam obligationem inducit; quia habet rationem pacti aut contractus gratuiti. Jam vero si quaelibet perfecta promissio aliquid faciendi aut transferendi quoddam jus suum in alium cum ejusdem tacita vel expressa acceptatione obligationem ex justitia constituit inter homines; quanto magis si haec fiat Deo? « Maximam » debet homo Deo fidelitatem (inquit rectissime D. Thomas) » tum ratione dominii, tum ratione beneficii suscepti: ideo» que maxime obligatur homo ad hoc quod impleat vota Deo » facta ».

Voti autem nomine intelligitur non simplex desiderium, aut propositum, aut mera pollicitatio aliquid faciendi; sed definitur, *promissio deliberata facta soli Deo de bono meliori et possibili.* Itaque debet esse perfecta promissio seu actus deliberatus cum intentione sese irrevocabiliter obligandi. Quapropter requiritur plena rei cognitio, et plena libertas a quavis externa, iniqua, gravi et directa coactione immunis. Soli autem Deo vota primario fiunt: sunt enim actus latriae. Ut autem rata et grata Deo sint, necesse est, ut ea quae promiseris, non solum possibilia sint, sed majori Dei honori, animique perfectioni accommodata; secus enim illusoria, irrita, Deoque indigna et impia forent. Caveant igitur homines ne temere et inconsulto sese voto obstringere audeant. Verum » si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displi» cet enim ei infidelis et stulta promissio: sed quodcumque

» voveris redde: multoque melius est non vovere, quam post » votum, promissa non reddere » (Ecc. V. v. 3. 4.) Votum vero scienter prudenterque nuncupatum et fideliter adimpletum est perillustris actus religionis, summopere Deo gratus, quo creatura rationalis maximum a Deo susceptum donum, suam scilicet libertatem, ipsi largitori sponte immolat.

Ceterum, sicut reliqui omnes contractus etiam humani *gratuiti* cessare possunt et dissolvi, si vel res promissa mutetur in malam aut impossibilem, vel ille cui promiseris per se aut per alios obligationem relaxet aut commutet: vel tandem si ille, qui aliquid in alterius commodum et honorem promisit, id in rem aliam multo meliorem eique gratiorem immutet; ita quoque accidit quoad votum: potest enim vel per se *irritari*, vel ab eo, qui ex Dei institutione ejus vices gerit, *dispensari*, aut in aliud etiam minoris momenti opus *commutari*; vel ipse vovens votum suum *commutare* jure potest, si pro inferiori opere rem certo praestantiorem se facturum promittat. Quod quamquam per se quisque facere jure posset; attamen prudenter aget, si eum consulat, qui suorum consiliorum legitimus interpres ab ipso Deo constitutus est.

Jusjurandnm, quod est alter ex propositis actibus humanis officia hypotetica inducentibus, est affirmatio religiosa, scilicet *invocatio Dei in testem et vindicem nostrarum assertionum et promissionum.* Quoniam vero fides, idest dictorum conventorumque constantia et veritas, est illud societatis vinculum, sine quo consociatio nulla nullaque inter homines officia stare possent; hinc factum est, ut ad fallaciam, calliditatem, fraudem, qua meliori ratione fieri possit, avertendam, in rebus praesertim gravioris momenti, cum inter cives, tum inter varios populos jurisjurandi consuetudo inducta fuerit; nata ex persuasione omnium hominum mentibus insita, Deum rebus omnibus, ipsisque animi consiliis praesentem esse; atque falsitatem et dolum, quo simplices et ingenui praesertim religionis specie a callidis et impiis hominibus decipiuntur, et injuria afficiuntur, severissima Dei

ultione puniendum esse. Itaque, ait Tullius, (De off. l. 3. c. 31.) « Nullum vinculum ad adstringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt. Id indicant leges in » XII tabulis, indicant sacratae, indicant foedera, quibus » etiam cum hoste devincitur fides; indicant notiones ani» madversionesque censorum, qui nulla de re diligentius, » quam de jurejurando judicabant ». Qui enim jurisjurandi religionem consulto contemnit, is humana divinaque jura uno tempore conculcat; et neque hominum neque Dei judicium et ultionem timet, quod extremum et incredibile humanae pravitatis et audaciae est.

Ex jurisjurandi definitione patet, illud duplicis generis esse posse scilicet vel *assertorium*, cum ad nostrarum assertionum confirmationem adhibetur; vel *promissorium*, cum ad ea quae promittuntur arctius adstringenda profertur. Ne autem jurisjurandi religio contemnatur, tria in eo oportet servari. « Jurabis (ait Hieremias. c. 4) . . . in veritate, in judicio, » et in justitia ». Itaque I. *in judicio*, idest non temere et quavis etiam levissima de causa. Secus enim augustissimus hic religionis actus nimia consuetudine vilesceret, et aperietur latebra perjurio; qui enim temere et passim de quaque re jurare consuesceret, falsa et iniqua facillime juraret. Quare cuilibet ingenuo et frugi viro, praeclarum illud Evangelii documentum, quod D. Legislator ad hunc hebraeorum abusum temere et inconsulto jurandi radicitus evellendum protulit, studiose servandum est. (Matth. V. 27.) « Sit autem » sermo vester, est, est; non: non: quod autem his abun» dantius est, a malo est ».

II. Porro *in veritate* jurandum est, scilicet juxta jurantis sententiam, et inculpabile ac certum conscientiae dictamen; ita ut in jurejurando *assertorio*, positis diligentiis ad veritatem assequendam debitis, pro certo ea habeat quae jurejurando affirmat. Perjurus autem esset, qui quamquam vera juraverit, tamen, aut non admodum perspecta et certa juraverit, aut ea falsa putaverit. Contra vero, qui ex invin-

cibili errore vera censeat quae affirmat, in veritate jurasse dicendus est. In jurejurando autem promissorio veritas habetur, si jurantis intentio, et voluntas implendi quae promittit, sublatis quibuscumque aequivocationibus, et calliditate, perfecte verbis cohaereat.

III. Tandem in *justitia* juratur, si ea quae juraveris honestati justitiaeque naturali conformia sint: jusjurandum enim non est vinculum iniquitatis.

Quae cum ita sint, apparet, in jurejurando *promissorio*, quod ad pacta, et contractus firmandos adhibetur, obligationem contrahi cum ex justitia naturali, tum ex officio religionis, ut impleantur promissa; qui secus fecerit, iniquus et impius est. Neque per calliditatem quis putet posse se jurisjurandi vinculo liberare. De quo praeclare Tullius (De Off. l. 3. c. 32.) « Sed ut laudandus Regulus in conservan- » do jurejurando; sic decem illi, quos post Cannensem pu- » gnam juratos ad Senatum misit Hannibal, se in castra re- » dituros ea, quorum potiti erant Poeni, nisi de redimendis » captivis impetravissent, si non redierunt, vituperandi. De » quibus non omnes uno modo. Nam Polybius, bonus au- » ctor imprimis, *scribit*, ex decem nobilissimis, qui tum » erant missi, novem revertisse, a Senatu re non impetrata: » unum, qui paulo post, quam egressus erat e castris, re- » disset, quasi aliquid esset oblitus, Romae remansisse. Re- » ditu enim in castra liberatum se esse jurejurando inter- » petrabatur: non recte. Fraus enim adstringit, non dissolvit » perjurum. Fuit igitur stulta calliditas perverse imitata pru- » dentiam. Itaque decrevit Senatus, ut ille veterator et calli- » dus vinctus ad Hannibalem duceretur ».

Verum si quis sive callide et malitiose juraverit, sive imprudenter, sive ex invincibili errore iniquum quid jurasse postea animadverterit, ne forte credat, se ulla id ipsum faciendi obligatione teneri: hoc enim et justitiae legi, et Dei sanctitati omnino repugnat. Quod Herodi ab Augustino merito exprobratum videmus « Inter lascivias et delicias con-

« vivantium temere juratur, et impie, quod juratur imple» tur ». Itaque saeculo 7.° labente, cum Gothorum rex Witiza neminem, qui affinitatis vel amicitiae vinculo cum suo praedecessore conjunctus fuisset, laedendum esse censuisset, idque jurejurando confirmasset: eodemque tempore omnes injurias sub praecedenti regno illatas se ulturum jurasset; cumque de regis familiaribus et amicis nonnulli criminosi reperti essent, addubitavit utrum jusjurandum valeret. Concilium Toletanum, quod ipse consuluit, respondit. *Jurisjurandi norma justitia est*; *nullum est jusjurandum, quod ei adversetur. Justitiam ergo servato.*

Cum autem basis jurisjurandi promissorii sint pacta et contractus, ad quorum firmitatem arctius adstringendam eo utimur: hinc sicut ceteri contractus, ita jusjurandum *promissorium*, vel per se irritari et cessare potest, si ejusdem materia quae antea possibilis et honesta erat postea fiat impossibilis vel mala: itemque *relaxari* ab eo licet, in cujus gratiam aliquid te facturum juraveris; aut tandem a suprema sacra Potestate, si id expedire judicaverit, *dissolvi et dispensari* vel in aliud *commutari* jure meritoque potest: de quo tamen Theologi singillatim pertractant.

Praeter haec duo officiorum hypotheticorum genera, quae ex facto hominum determinantur, scilicet ex voto, et jurejurando, alia quoque extant officia hypothetica, quae a Deo ipso sive immediate per se, sive mediate per suos ministros sanciuntur, idest a legibus *positivis* Evangelicis et Ecclesiasticis. Quisquis suo officio recte functus sit de religione studiose ediscenda, quemadmodum supra dictum cap. I. est, atque persuasus fuerit non solum de existentia et providentia Dei, verum etiam de Christi divinitate, deque auctoritate Ecclesiae divinitus tradita docendi et regendi fideles; non sane dubitabit; quin eodem prorsus obsequio parendum sit naturali legi Creatoris, ac legibus D. Redemptoris, et Ecclesiae suae: qui enim doctrinam vel mandata Ecclesiae contemnit, Deum ipsum contemnit: nec potest quisquam gloriari Patrem se habere Deum, qui vel Christi, vel Ecclesiae Matris praecepta violaverit.

PARS SECUNDA

DE OFFICIIS HOMINIS ADVERSUS SEIPSUM.

Officia hominis adversus seipsum triplex objectum habent: primum *animi* culturam quoad intellectum et voluntatem; tum *corporis* seu *vitae* conservationem; denique *status externi* curam. Incipiamus itaque a cultura animi, quia multo praestantior est vita ipsa animali, quippe ad aeternitatem prospiciens, ex eoque recte informato tota animalis vitae, nec non status externi conservatio et perfectio dependeat.

CAPUT I.

DE CULTURA ANIMI

ARTICULUS I.

De cultura intellectus.

Optimus ille est, ait Aristoteles (L. 1. Politicorum.) cujus rationi lex, ratio autem lege informata et instructa voluntati et appetitui praesit ac dominetur: is merito sapiens et, quantum hic datum est, vere beatus. Totum igitur excolendi intellectus munus in eo est, ut de suis quisque officiis recte instruatur. Hujusmodi autem culturae duo genera sunt, aliud omnium hominum *commune* et *genericum*, aliud *peculiare* et cujusque *proprium.*

Si verum est, quod nemo dubitat, rectam morum disciplinam, et certa ac vera conscientiae dictamina in rebus gerendis necessaria nobis esse, ut constare in vitae perpetuitate possimus nobismetipsis, nec in ullo officio claudicare: atque itidem si verum est, sine diligenti studio, et cultura,

haec omnia rata et perspecta haberi non posse; nemo profecto dubitabit, hanc intellectus culturam de hominis officiis, qua scilicet quid Deo, quid parentibus, quid patriae, ceterisque hominibus debeamus cognoscere possimus, omnibus hominibus necessariam esse, et naturae lege praescriptam.

Haec quidem generica et communia omnium. Praeterea

. . . . . *Quem te Deus esse*
Jussit, et humana qua parte locatus es in re
Disce

inquiebat Persius. (Sat. 3. v. 71.) Quisque enim in societate humana suo peculiari munere fungi debet, singulis autem socialis vitae muneribus sua peculiaria et propria officia respondent. Quare, si de iis praesertim sermo sit, quae non mediocrem doctrinam et artem desiderant, ut recte sine aliorum detrimento et injuria administrari possint; utpote si quis magistratum gerat, aut episcopus sit, aut causarum patronus, aut medicus etc.: quanta ei, qui haec negotia gerenda sibi assumit, doctrina, exercitatio, prudentia necessaria est? « Igitur (concludam cum Genuense) si in iis gerendis labatur, quod neglexerit ea addiscere, quae oportebat, eum non tegit, nec tuetur ignorantia. Cujus rei ratio est, quod singula munera, quibus in civili societate fungimur, pactis conventis constituta primum sunt, et in eorum gratiam comparata, quorum causa gerimus. Ii ergo, quorum causa gerimus, strictum adversus nos jus quaesitum habent, qui gerimus; ut nisi rite recteque fungamur, utque nihil illis mali propter nostram stultitiam accidat, pactorum ipsarumque civilium legum desertores simus ».

Quae cum ita sint apparet, quanta cura adhibenda sit in deligendo genere vitae; quantaque opus sit diligentia ac studio, ut ad ea munia, quae prudenter elegerimus, instructi, habilesque accedamus.

Itaque in primis constituendum est, quos nos, et quales esse velimus, et in quo genere vitae: quae deliberatio est omnium difficillima (Videsis. Cic. de Off. a cap. 30 ad

38.). Ineunte enim adolescentia, cum est maxima imbecillitas consilii, tum id sibi quisque genus aetatis degendae constituit, quod maxime adamavit: aut multitudinis judicio pecudum more fertur, aut ad parentum aliorumve consuetudinem, moremque sectandum deducitur. Itaque ante implicatur aliquo certo genere cursuque vivendi, quam potuit, quod optimum esset judicare. Quod adeo turpe et in omni vita teterrimum malum effugere qui volet, omnes autem velle debent, adhibebit ad considerandas res et tempus et diligentiam. Non enim quae optima in se sint, nostraeque ambitioni aut cupiditati pergrata, sed quae nostro ingenio ac viribus magis conveniant, ea nobis assumere debemus. Ut etiamsi sint alia graviora atque meliora, tamen nos studia nostra naturae regula metiamur. Qua in deliberatione, consideranda quoque est conditio, qua quisque natus sit: ea enim munia plerumque eligenda sunt, quae cujusque status et ordinis sunt propria: neque agricolae, aut tonsoris filius ad supremos civitatis gradus ascendere facile praesumat; aut qui altiori genere natus est, ad inferiores ignaviter descendat. Nisi forte maximam ingenii vim, aliaque subsidia illi natura et fortuna dederit; huic denegarit. Tunc quidem facienda morum institutorumque mutatio est. Id autem maxime quemque decet, quod est cujusque maxime suum. Itaque in perdifficili hoc gravissimoque negotio non praecipites, aut oscitantes esse debemus; sed spatium deliberandi assumamus, maxime autem consilio amicorum et prudentum utamur, Deique auxilium etiam atque etiam postulemus. Hoc modo, quod per se difficillimum est, quem potissimum vitae cursum sequi debeamus, perspicere facile poterimus.

Quidam autem qui ad splendidissima Reipublicae munera obeunda aptissimi natura essent, et satis doctrina instructi, tamen ea suscipere detrectant, rei difficultatem extimescentes: verentur enim ne si forte in iis administrandis erraverint, ab honestate justitiaque recedant. Quorum si vera sententia esset, nemo unquam aut medici, aut judicis,

aut magistratus aut episcopi onus suscipere amplius deberet. Quia nulla satis magna doctrina et peritia est ei, qui eisdem praepositus esse velit. Ceterum quamquam verum sit has similesque disciplinas, et munia nullis septa limitibus contineri; sed indeficientem doctrinae et prudentiae fontem inde profluere: tamen accurate distinguendum est, quid necessarium omnino sit, ne temere et inique ea sibi quis assumat gerenda; quid autem peropportunum et *de consilio*, ut magis peritus usque reddatur in exequendis negotiis. Itaque ne in absurdam, et perniciosissimam Jansenianorum doctrinam incidamus, hoc pro certo ponendum est; quodvis munus eum jure amplecti posse, cui sufficiens doctrina et peritia sit: haec autem *sufficientia* non mathematico, sed morali criterio determinanda est. Itaque duos canones ad hoc recte statui posse censeo, scilicet, in quovis munere necesse est, ut qui illud suscipere velit 1. par sit ad consueta muneris hujus negotia, et casus passim occurrentes recte administrandos et in quibus subita opera adhibenda sit: 2. graviorum autem casuum, implexorumque negotiorum saltem difficultatem et gravitatem internoscere valeat, ut vel accuratiori examini det operam, vel aliorum consilio et opera juvetur. Hi generales canones a peritis ac prudentibus in unoquoque munerum genere facile cognosci et applicari possunt. Quorum consilio ducti difficillima etiam societatis munia tuto prudenterque amplecti poterimus; sin autem, quod hominis est, in iis administrandis inviti quandoque aberraverimus, nemo jure reprehendat.

Haec duplicis generis cultura, communis omnium hominum, et specialis ac propria cujusque status et muneris, utpote necessaria, lege naturae omnino sancita est. Cum autem nostra intelligendi facultas capax sit culturae et perfectionis indefinitae, tendit enim ad summum bonum; hinc latissimus patet omnigenae eruditionis scientiarumque campus ad libitum excolendus. Qui autem cognitionibus et scientiis adipiscendis operam dare student, iis duo praecepta tenenda

sunt; unum, ne quaelibet indiscriminatim systemata et doctores quosque sequantur, iisque temere assentiantur; unde criteria falsa enascuntur, quae sensim moralitatis et religionis fundamenta in eis vitiarent. Quare in catholica Ecclesia sapientissime provisum est, ne quosdam auctores veneno infectos legere quisquam praesumat, nisi, cognita ejus doctrina et prudentia, veniam ab Ecclesiae Hierarcha impetraverit. Alterum praeceptum est, *ne quid nimis.* Etenim, ut ait Seneca, *plus velle scire quam satis est, intemperantia est.* Non autem permulta et varia accepisse, sed optima et cognitione digna penitus didicisse, hoc jure laudabitur. Itaque quasi compendiarium bonarum artium scientiarumque studiosis praeceptum esto. Si quam maxime in intellectus cultura proficere velint, nonnisi summos, multarumque aetatum judicio probatissimos auctores diurna nocturnaque manu versare, iisque penitissime inhaerere studeant.

ARTICULUS II.

De cultura voluntatis.

« Voluntatem gubernat recta ratio, seducit bonum appa» rens: voluntatis stimuli affectus, ministri organa et motus » voluntarii. De hac Salomon *Ante omnia* (inquit) *custodi, filii,* » *cor tuum: nam inde procedunt actiones vitae* » (Baco de Verulamio De Augm. l. 7. c. 1). Itaque voluntatis cultura in affectuum curatione potissimum versatur. Quamquam autem repudianda sit Stoicorum sententia, qui humanos affectus seu *passiones*, naturae rationique contrarias asserebant, easque evelli animo et extrahi penitus a sapiente oportere; quorum alterum falsum, alterum impossibile omnino est (Vide Tract. Gen. P. II. c. 1. a. 1.) tamen fateri debemus, insitum esse in natura vitium seu *fomitem*, quo animi nostri affectus, qui per se mali non sunt, vehementer incenduntur, et ad deteriora praecipites usque incitantur: in aestu autem harum perturbationum mentis quoque serenitas et judicium facile

corrumpitur, omniaque quae appetitum acuunt vera pulchra honesta videntur, viceversa falsa turpia inhonesta: quare passim incauti capiuntur voluptate, vel iracundia supra se efferuntur; *nec unquam illic animus ubi ceciderit jacet* (Augustinus); sed indulgendo appetituum illecebris, eorum vires mirandum in modum augentur, et malos habitus, veluti alteram naturam deteriorem priore induit homo, quae plerumque nonnisi morte deponitur.

Hoc adeo teterrimum factum omnium experentia comprobatum effecit, ut philosophi D. Revelationem ignorantes hominem dicerent, non ut a matre, sed ut a noverca natura editum in vitam, eumque veluti enygma intuebantur, in cujus mente quaedam Divinitatis particula appareat, ex altera vero parte belluis ipsis deterior videatur (1). Permulti autem potiusquam in tradenda disciplina de recta affectuum curatione sedulo animum intenderent, evanuerunt in cogitationibus suis falsa et absurda systemata speculantes; cum alii dixerint, nos ob aliqua scelera suscepta in vita superiori poenarum luendarum causa natos esse, et in corpora tamquam in deterrimum carcerem detrusos; alii duo suprema, alterum bonum, alterum malum, rerum omnium principia excogitarint; alii denique tantam esse dixerint vim physicae constitutionis, formae, temperamenti, ut ea hominis voluntas necessario ad agendum impellatur et determinetur. Recta autem et philosophica, quae ex hoc facto conclusio deduci debet, haec est: praecipuum hominis officium esse, ut impotentes suae naturae propensiones diligenter consideret, earum impetus antevertat, opportunis remediis curet, et rationi obedientes faciat: secus enim imprudentem aggrediuntur, illudunt, rapiuntque. Enimvero « nulli sunt tam feri suique juris af-

(1) Tullius. (l. 3. de Rep. ab Augustino relatus l. 4. contra Julianum c. 12.) „ hominem dicit non ut a matre, sed ut a noverca na-
» tura editum in vitam; corpore et nudo et fragili, et infirmo; animo
» autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono
» ad libidines: in quo tamen inesset tamquam obrutus quidam divinus
» ignis ingenii et mentis.. »

» fectus, ut non disciplina perdomentur ». (Seneca ep. 116) Diligens autem animi cultura duo efficere potest: scilicet 1. ut retenta cujusque propria indole, et morali propensione, intra suos limites contineantur affectus, et ad utile atque honestum objectum dirigantur. Quaelibet enim naturalis propensio vel bonos, vel malos effectus producere itidem potest; juxta objecti naturam, quo tendimus, et intensitatis gradum quem in desideriis nostris aut aequum servemus, aut ultra citrave justos fines, adeo ut hebescere ea, vel insolentius efferri sinamus. Porro et aliud multo praestantius efficere potest accurata morum disciplina. Potest namque ipsam indolem naturalem temperare, aut etiam prorsus immutare; adeo ut qui petulans, iracundus, ferus natura aut etiam mala consuetudine sit, vel tardus et iners, vel ad voluptates nimis propensus; opportuna disciplina forti et firmo proposito servata mitescere, ac strenuus, severus, sobrius evadere possit. Cujus rei ratio est, ut quamvis variae naturarum propensiones magnam habeant vim, non minorem vero imo vel aequalem aut etiam potiorem adipisci possimus per consuetudinem: ex quo fit, ut habitus inde firmiter animo inserti oppositam naturae propensionem sopiant, vel prorsus extinguant. Atque ut illustrium virorum exempla praeteream, qui suae naturae pravitatem severissima disciplina omnium virtutum fructibus feracissimam effecerunt; idipsum artes omnes humanae aperte declarant, quibus videmus steriles, vel sylvestres terras et plantas hominis industria in fertiles et bonas immutatas; bestias quoque immanes hominis imperio et commercio assuescere; barbaras gentes civilibus institutis mitescere et pacis studia sponte amplecti, in iisque inveterascere. Itaque operae pretium est quaedam generalia saltem praecepta tamquam aphorismos de animorum curatione tradere.

Jam vero tria sunt causarum genera, quae affectus vehementissime perturbare, animique morbos producere possint: animus ipse seu phantasiae vis falsis rerum formis et imaginibus; objecta externa: et physicus corporis status: igitur cir-

ca haec tria versari debet disciplina de voluntatis et affectuum curatione.

Phantasia est ea praecellens animi facultas, qua homo objecta, quae sensibus actu non subjacent veluti praesentia intuetur et in animo imprimit; quae proinde magnum et admirabile, ut ita dicam, idearum theatrum et emporium efficit: fingit quoque tamquam realia quae nusquam sunt: rosas sine spinis, pulchritudinem et felicitatem poeticam: itemque chimaeras, vana monstra. Quae imaginandi vis, si ratione sedulo regatur, praevidentiam, genium poeticum, ingeniique praestantiam facit: secus vero infausta est multorum physicorum et moralium morborum causa (1).

Itaque ad haec mala moralia praecavenda primum praeceptum sit, *recte sapere*. Scilicet mature et diligenter vel a prima aetate erudiendus et edocendus est animus circa bonorum et malorum hujus vitae naturam, ultimumque hominis finem; quantum intersit honeste vivere ad veram felicitatem obtinendam; nihil autem vere utile quod non honestum sit. Unde persuasi simus virtutem honestatemque praecipua vel sola esse bona, quae viro probo cordi esse debent, quaeque nonnisi nostra voluntate amittuntur.

Porro et aliud summi momenti praeceptum illud est, quod aureis characteribus in templo Delphico veteres insculpserunt; *Nosce te ipsum*: propriam nempe indolem moralem, et praevalentem animi affectionem quae suum cuique characterem et energiam ac certam propensionem tribuit. Ut huc potissimum intendamus animo, et in ea quasi sola diligentissime curanda regendaque toto pectore incumbamus: inde enim pro nostra cura vel incuria maximum bonum vel maximum malum expectandum est (2). Omne igitur tulit punctum, qui

(1) Vide praeclarissimum Ludovici Muratorii opus cui titulus *Delle forze della fantasia.*

(2) Praeclare Dantes Purg. can. 30.

Questi fu tal nella sua vita nuova
Virtualmente, ch'ogn'abito destro

hanc praevalentem suae naturae affectionem vel radicitus extirpaverit, vel rationi obedientem fecerit. Similis namque erit excellentis Imperatoris, qui in gerendo bello omnem suorum exercituum vim eo dirigit, ubi maximum hostium robur consistit, nihil vel parum curans minora obstacula : eo enim prostrato, cetera omnia tanquam consectaria ejus victoriae sponte concedunt. Haec igitur sui ipsius cognitio ideo comparanda nobis est, *ut* (quemadmodum monet Aristoteles) *totis viribus* (citra tamen vitium) *nitamur in contrarium illius , ad quod natura maxime impellimur* : sicut cum baculum incurvum, ut rectum fiat , in contrarium flectimus. Tali modo Socratem , natura sua ad iracundiam vehementissime abreptum, magnum lenitatis et patientiae exemplum inter ethnicos extitisse accepimus : innumera vero in omni virtutum genere exempla videre est in heroibus christianis. Cum autem verissimum sit illud axioma (ait Baco): *animum ad quaecumque felicius trahi et suavius , si illud quo tendimus , in intentione operantis non sit principale , sed tamquam aliud agendo superetur* : quoniam ita fert natura, ut necessitatem et imperium durum ferre oderit ; inde sumamus licet rationem et modum ut impotentem affectionum impetum facilius retardare ac lenire possimus , scilicet ad alia magna et utilia animum distrahendo. Quare a parentibus, a moderatoribus ac magistris in juventutis educatione summo studio curandum est , ut cognita puerorum indole, et prava cujusque propensione , eam tamquam aliud agendo oblique curent, et ad opposita suaviter divertant. Quo in loco praetereundum non est remedium illud quod Baco dixit « omnium maxime compendiosum , et summarium , et » rursus maxime nobile et efficax, quo animus ad virtutem » efformetur, et in statu collocetur perfectioni proximo. Hoc

Fatto averebbe in lui mirabil prova.
Ma tanto più maligno e più silvestro
Si fa il terren col mal seme e non colto
Quanto egli ha più di buon vigor terrestro.

» autem est. *Ut fines vitae actionumque deligamus, et nobis ipsis* » *proponamus rectos, et virtuti congruos, qui tamen tales sint,* » *ut eos assequendi nobis aliquatenus suppetat facultas.* Si enim » haec duo supponantur, *ut et fines actionum sint honesti, et* » *boni, et decretum animi de iis assequendis et obtinendis fixum* » *sit et constans,* sequetur, ut continuo vertat et efformet se » animus, una opera, in virtutes omnes. Atque haec certe » illa est operatio, quae *Naturae ipsius opus* referat; cum re- » liquae . . . videantur esse solummodo sicut *opera manus.* » Quemadmodum enim *statuarius*, quando simulacrum ali- » quod sculpit aut incidit, illius solummodo partis figuram » effingit, circa quam manus occupata est, non autem cete- » rarum (veluti si faciem efformet, corpus reliquum rude » permanet, et informe saxum, donec ad illud quoque per- » venerit). E contra vero *Natura,* quando florem molitur, » aut animal, rudimenta partium omnium simul parit et pro- » ducit. Eodem modo, quando virtutes habitu acquiruntur, » dum temperantiae incumbimus, ad fortitudinem aut reli- » quas parum proficimus: quando autem *rectis et honestis fi-* » *nibus* nos dedicaverimus penitus et devoverimus, quaecum- » que fuerit virtus, quam animo nostro commendaverint et » imperaverint fines illi, reperiemus nos jamdudum imbutos » et praedispositos habilitate et propensione nonnulla, ad eam » assequendam et exprimendam ».

Qui autem honesta studia et opera sibi adlegerint, iisque se dederint cavere debent, ut idem praecipit Baco, « *a pen-* » *sis vel magis arduis, vel magis pusillis,* quam res postulat. » Nam si oneris nimium imponatur, apud ingenium medio- » cre bene sperandi alacritatem obtundes; apud ingenium » fiduciae plenum opinionem concitabis, qua plus sibi pol- » liceatur, quam praestare possit. In utroque autem inge- » nii temperamento fiet, ut experimentum expectationi non » satisfaciat: id quod animum semper dejicit et confundit. » Quod si pensa leviora fuerint, magna inducitur in pro- » gressionis summa jactura ».

Non solum autem animi recte imbuendi et ad virtutem disponendi et inflectendi nobis cura esse debet, verum magna quoque externarum causarum ratio habenda est, si optemus facile nos posse tenere nostrae vitae modum. Quemadmodum enim ad optimam valetudinem magnopere conducit locorum amoenitas aerisque salubritas ; ita quidem ad virtutes summi momenti est, ut moralis ut ita dicam atmosphaerae salubritatem et puritatem summo studio quaeramus: removendo scilicet a nostra consuetudine, quoad fieri liceat, eas externas causas et occasiones, quae cupiditatibus incendendis magnam habeant vim. Haec autem externa objecta, quae incautos solent fascinare et ad iniqua et inhonesta abripere, duplicis generis esse possunt, primum ut nulla honesta ratio sit quare ad ea accedamus in iisque immoremur: atque haec non modo vitari debent ex eo quod quisquis voluntarie subit periculum moraliter certum peccandi, ipso facto criminis reus constituitur: verum diligenter quoque curandum est, ut *quamprimum* et *illico* ea removeamus: tali modo facilis victoria de infensissimo quoque hoste nobis parata est. Nisi vero caveas naviter, actum est ilicet. *Quae res in se neque consilium neque modum habet ullum* (ajebat Pamphilo de se nimis praefidenti terentianus ille Parmeno), *eam consilio regere non potes ... accede ad ignem hunc, jam calesces plus satis.* Quare nihil praeclarius eo quod poeta monet.

Principiis obsta. Sero medicina paratur
Cum mala per longas invaluere moras.

Sunt autem quaedam objecta, rerumque circumstantiae periculi quidem plenae, quas tamen aequum est, ut quidam adeant: ut medicus aut chirurgus in quibusdam morbis curandis, aut pictor in suae artis exercitio, aut polemicus in perlegendis libris contra religionem tractantibus, aut episcopus qui verae fidei osoribus terribilia minitantibus secura fronte sponte sese offerat. Haec et similia magna sunt quidem per se virtutis discrimina, attamen fiunt levissima et contemnenda

iis qui, aut necessitate cogente aut magna sibi proposita utilitate, ad hunc tantummodo scopum intendentes, in eoque toto animo inhaerentes praeter intentionem inter ipsa secure versa ntur.

Ceterum affectiones et passiones omnes, cum eae, quae ab imaginibus interna phantasiae vi reprehesentatis, tum illae quae ab objectis externis excitantur, diversam habent modificationem, characterem et vim juxta diversam corporis conformationem, nervorum elasticitatem, solidorum et fluidorum proportionem ac statum. Unde diversam quisque habet sentiendi *capacitatem* seu *susceptibilitatem*, quae dicitur, diversam agendi rationem et energiam; quae suam unicuique indolem moralem effingit. Quare infinitae propemodum dissimilitudines in hominibus sunt, sive *sanguineo*, sive *cholerico*, sive *atrabiliari*, sive *nerveo*, sive *hypocondriaco*, sive *lymphatico* temperamento praeditis; ut reliquas mittam, quae pro diversitate locorum, climatum, educationis, aetatis valetudinis etc. existunt varietates (1).

Itaque magnopere interest ad malas animi perturbationes praeveniendas ac temperandas, et ad virtutis semitam complanandam, ut bonam sui corporis habitudinem et aequilibrium quisque servet. Qua in re profundiora ac peculiaria medici, physiologi, et quisquis animi georgica ex professo tractaverit, remedia et documenta dabunt. Nobis satis sit genericum maximae quidem utilitatis praeceptum tradere. Quem ad optimam corporis valetudinem habendam Hyppocrates dedit, idem ad *passionum* quoque impetum retardandum et comprimendum optimus aphorismus censeri debet. *Nunquam satiari cibis et impigrum esse ad laborem.* Temperantia scilicet et activitas sicut corporis, ita etiam animi sanitatem et vires apprime nutriunt (2). Experientia namque certum est, iracundiam, libidinem, ceteras animi perturba-

(1) Vide Genuensem. *Lettere Accademiche* praesertim. 4.

(2) Vide Celsum l. 1. c. 2. et praeclarum Plutarchi tractatum de *tuenda valetudine.*

tiones ex intemperantia maximopere furere et debaccari: quisquis autem vel ad bonam senectutem pervenerit, vel in bonis artibus ac disciplinis excelluerit, vel optimis moribus floruerit, nonnisi parce, continenter, severe, sobrie vivendo ad eam laudem pervenisse. Praeterea desidiam et inertiam abjicere oportet, et impigrum esse ad laborem, non solum animum, verum etiam corpus continenter exercendo, nisi membra ac nervos tabescere velimus, animumque valetudinis imbecillitate, et humorum nimietate ac perversitate aegre affectum deficere et ad deteriora trahi. Omnis namque virtus et vita hominis in actione consistit. (Vide Genuensem ep. 10. ex academicis). Id autem cavere summo studio ii potissimum debent, qui scientiis aliisque liberalibus disciplinis sese dediderunt, ne discendi desiderio nimis illecti corporis desidiam et inertiam foveant: sed mechanicas corporis exercitationes seligere sibi accommodatas et amplecti curent, vel in aliqua arte certo tempore exercenda, vel etiam in ludo ac joco. Ludo enim et joco, inquiebat Tullius, uti illo quidem licet sicut somno et quietibus ceteris: et quemadmodum hyppocraticum aphorismum senibus applicans ajebat « habenda » est ratio valetudinis, utendum *exercitationibus modicis*, tan» tum cibi et potionis utendum, ut reficiantur vires non ut » opprimantur »; ita juvenibus proponebat et studia venandi, et Campum Martium ubi pila, disco, currendo, luctando, jaculando, equitando, aurigando, et natando corpora exercebant.

Haec et similia praecepta servantem maximas animi perturbationes antevertere, vel rationi obedientes facere licebit. Attamen aliquando sive casu aliquo et infortunio, sive hominum malitia, rerumque adversitate, sive nimia phantasiae vi abrepti improviso ac praeter opinionem impotentes ac turbidi animi motus excitantur ac vehementer angimur vel de amissis bonis, vel de imminentibus et praesentibus malis. Ad hunc miserum maeroris et prementis aegritudinis statum relevandum duo medicamentorum genera traduntur, alia ratio-

nalia, alia ut ita dicam mechanica et obliqua. Sed praestat curationem incipere a mechanicis: animus enim moerore confectus et aegrotans non est admodum docilis philosophiae praeceptis. Tres autem sunt effectus, qui ex illa aegritudine consequuntur, desiderium solitudinis, languor, ac rerum omnium ipsorumque alimentorum nausea. Haec postrema, ne corporis viribus nimis abjectis animum ipsum magis conturbet in dies, et ex effectu causa fiat; prudentium medicorum consilia sunt adhibenda. Quoad alia vero, qui prudens esse, et consulere sibi velit, vitabit illico solitudinem ac silentium, omnemque excutiet languorem. Ac primum in veri amici complexu virus acerbitatis suae profundat: hinc externas animi evagationes etiam atque etiam quaerat, utpote in laetis amicorum coetibus, et honestis oblectamentis, tum magnas quoque corporis exercitationes assumat, deambulationes, equitationes, rusticationes; et si fieri possit, diversas regiones longis itineribus petat. *Fuge coelum in quo aegrotasti* (Hyppocrates). Tandem perturbationis aestu quiescente, tunc fascinationem omnem philosophia tollet, media opportuna suggerendo quibus damna reparentur, et ad solida et vera bona animum convertamus, ac sicut apis (ut ait Plutarcus) ex thymi amaritudine mellis dulcedinem extrahit, ita nos ex ipsis malis bona nobis eruamus.

Quamquam vero potiora et efficaciora remedia ad animorum curationem tradere Theologiae Sacrae munus sit; « at» tamen (ut ait Baco c. 3. l. cit.) *philosophiam moralem* in » famulitium Theologiae recipi, instar ancillae prudentis, et » pedissequae fidelis, quae ad omnes ejus nutus praesto sit » et ministret, quid prohibeat? Etenim quemadmodum in » psalmo habetur, quod *oculi ancillae perpetuo ad manus do*» *minae respiciunt*: cum tamen minime dubium sit, quin » haud pauca ancillae judicio et curae relinquantur: eodem » modo et *Ethica* obsequium *Theologiae* omnino praestare » debet, ejusque praeceptis morigera esse, ita tamen ut et » ipsa, intra suos limites, haud pauca sana et utilia docu-

» menta continere possit ». Quorum nos perpauca hic et generalia delibavimus ; rei autem magnitudo non subcisiva haec tempora, sed annum solidum postularet. Namque » in cultura animi, et morbis ejus persanandis, tria in con- » siderationem veniunt; *characteres diversi dispositionum, af-* » *fectus, et remedia*. Quemadmodum et in corporibus medi- » candis proponuntur illa tria ; *complexio , sive constitutio* » *aegri, morbus et curatio*. ». Cujus amplissimae tractationis praecellentem adumbrationem videre est in laudato Baconis opere capite III.

CAPUT II.

DE VITAE CURA

ARTICULUS I.

De non inferenda sibi morte.

Sicut in reliquis naturae praeceptis ita et in hoc de custodienda vita, duae partes distingui debent: pars *affirmativa* et pars *negativa*: illa jubemur certo tempore, loco, ac ratione media adhibere ad vitae conservationem incolumitatemque necessaria: pars autem *negativa* hujus praecepti absolute vetat quidquam agere quod nostrae vitae adversetur. De hac tantummodo parte in praesentia disseram ; alteram affirmativam in sequentem articulum reservabo.

Apud veteres populos orientales, nec non africanos, tnm etiam apud Celtas, Graecos, et Romanos opinio invaluerat, qua crederent, fortis animi esse suae vitae curam negligere, et quandoque etiam sibi mortem inferre. Permulti quoque ex antiquis philosophis , et non pauci ex recentioribus hoc falsum dogma de suicidii honestate rationibus demonstrare conati sunt : quorum nonnulli suae vitae arbitrium homini absolute datum esse impudentissime affirmarunt; ceteri vero hu-

jusce erroris fautores nonnisi in quadam miserrima vitae hujus calamitate et sub quibusdam conditionibus licere censuerunt vitae fatum anticipare (1).

Ne autem in hujus erroris refutatione aut falsis suppositis aut alienis quaestionibus veritas involvatur, quaedam ad quaestionis statum recte determinandum necessario praemittenda sunt. Itaque primum, si quis ex atheismo, fatalismo, aliisve erroribus, vel etiam seposita Dei providentia, suicidii honestatem demonstrare conetur, cum eo quaestio nobis esse non debet: tum quia errores illos alias explosos supponimus: tum etiam quia in tractatu generali demonstratum est, orthodoxas de anima humana, et de providentia Dei veritates universae moralitatis fundamentum esse. In absurda autem sive *incredulorum* sive etiam *praescindentium* sententia, sicut cetera crimina, ita etiam suicidium omni caret turpitudine et culpa, plerumque stultitiae ac furoris nomine notari posset, aliquando commiseratione et fortasse etiam laude dignum videbitur: positis autem his veritatibus, suicidium naturae lege proscriptum esse affirmamus. Suicidium inquam proprie dictum. Etenim accurate distinguendum est suicidium *directe* et *ex intentione* illatum, a suicidio *indirecto*; scilicet ab ea morte, quae ex quadam nostra actione vel omissione, sed praeter suicidii intentionem sequatur: utpote in naufragio si tabulam filius forte nactus eam parenti suo relinqueret et in maris aestu effugium aliud frustra quaerens periret: vel si miles ab hostibus circumventus maluerit fortiter pugnando perire, quam stationem ab imperatore sibi datam relinquere: hi profecto suicidii crimine rei minime censendi essent, cum non in odium suae vitae, sed vel ob parentis, vel ob patriae amorem praeter autem suicidii intentionem mortem oppetiverint. Quando autem suae vitae discrimen subire liceat, vel tamquam illustre facinus suadeatur, vel etiam lege naturali

(1) Haec omnia locupletissime illustrata videre est in opere cui titulus *Istoria critica e filosofica del suicidio ragionato di Agatopisto Cromaziano.*

omnino jubeatur, alia quaestio est in sequenti articulo examinanda. Qui vero vitae hujus aerumnas perosus sive inedia ut Pomponius Atticus, sive veneno ut Hannibal, sive ferro ut Cato et Lucretia, seu quoquo alio modo mortem sibi ex proposito consciverit, is verum suicidii crimen et immane facinns perpatraverit : nisi forte Dei venia, et numen intercesserit. Etenim « cum Deus jubet, seque jubere sine ullis » ambagibus intimat, quis unquam obedientiam in crimen » vocet ? Qui ergo audit, non licere se occidere, faciat, si » jubeat cujus non licet jussa contemnere. Tantummodo vi» deat, utrum divina jussio nullo nutet incerto » (D. Augustinus l. 1. de civ. Dei c. 26.) Scilicet *expressa* Dei *revelatio* necessaria est, ut certi esse possimus de voluntate Dei suicidium jubentis vel suadentis, neque omnino sufficit, ut quidam praestantissimi philosophi putant, ejus venia per rationem investigata et *praesumpta*. Itaque thesis nostra hisce verbis circumscripta est.

Nunquam licet absque speciali Dei revelatione mortem sibi ex proposito et directe inferre.

Et re quidem vera, unica et suprema rerum omnium, ideoque existentiae et conservationis nostrae causa et ratio nonnisi Deus est : supremum ergo absolutumque vitae nostrae dominium unius Dei est. *Tu es, Domine, qui vitae et mortis habes potestatem* (Deuter. XXXII. 39.) Hujns autem divinae proprietatis depositum et administratio tantum nobis tradita est. Jam vero quaenam concreditae administrationis conditiones et jura a supremo Domino sanciantur, ea per naturae legem omnibus apertissime patent. Ipse enim naturales vitae terminos unicuique constituit; atque aeterna ejus lege sancitum est, ut homo ultimum suum finem in altera vita adipiscatur; dummodo convenienter hic naturae suae vivat, justitiam nempe, honestatem, pietatem, uno verbo virtutem colat. Haec naturae humanae essentialis et immutabilis lex est : hae depositis ac muneris hujus administrandi conditiones et leges constitutae. Itaque quisquis hujus vitae calami-

tatibus, infortuniis, vel quacunque de causa exagitatus sua libera electione violentas in se manus infert, is supremum Dei dominium usurpat, naturae cursum ab eo praestitutum abrumpit, ac munus et depositum a Deo assignatum turpiter deserit, ac disperdit. Dei igitur juribus et ordinationi perduellis et iniquissimus dicendus omnino est.

Tanta est hujus argumenti vis et evidentia, quae cuilibet, nisi desipiat, ultro se prodit, nt id ipsum omni aetate contra suicidii fautores a summis philosophis propositum videamus et sub diversis imaginibus expressum: alii enim suicidas comparant militibus, qui stationem ab Imperatore assignatam relinquunt; alii servis, qui famulatum praestare detrectant; alii depositario infideli, qui rem suae fidei commissam disperdit: atque his similibus. « Injussu Imperatoris (idest » Dei) de praesidio et statione vitae non esse discedendum » ajebat Pythagoras (Apud Stanlejum l. II. epig. 56.) et Socrates (apud Platonem in Phaedone) « Id mihi, o Cebes, » (inquiebat) recte dici videtur, Deum quidem curam habere » nostri: nos vero homines unam quamdam ex possessioni- » bus esse deorum. Nonne igitur et tu, si quod ex manci- » piis tuis seipsum perimeret, irascereris illi, et si potesta- » tem haberes poena quadam afficeres? » Plato autem (item in Phoedone) « In custodia quadam positi sumus, neque » decet quemquam ex ea seipsum solvere, neque auferre », Sed praeclarissime Tullius (De Repub. I. 6.) Cum enim. P. Scipio in somnio acceperit veram vitam nonnisi in coelis esse. « Quaeso pater sanctissime atque optime (ait), quoniam » haec est vita, ut Africanum audio dicere, quid moror in » terris, quin hinc ad vos venire propero? Non est ita, in- » quit ille,nisi Deus is, cuius hoc templum est omne, quod » conspicis, istis te corporis custodiis liberaverit, huc tibi » aditus patere non potest. Homines enim sunt hac lege ge- » nerati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo » medium vides, quae terra dicitur . . . Quare et tibi, Pu- » bli, et piis omnibus retinendus est animus in custodia

» corporis: nec injussu ejus, a quo ille est vobis datus, ex
» hominum vita migrandum est, ne munus humanum assi-
» gnatum a Deo defugisse videamini. Sed sic Scipio, ut avus
» hic tuus, ut ego qui te genui, justitiam cole, et pietatem ...
» ea vita via est in coelum ».

Itaque ex jure dominii in hominum vitam unius Dei proprio, et ex ejusdem divinae hujus proprietatis destinatione et ordinatione evidentissime patet, suicidium quibusvis temporis rerumque vicissitudinibus perduellionis crimen esse contra mundi Dominum et Legislatorem illatum. Ceterum hoc ipsum argumentum evolvi et illustrari potest ex triplici relatione, quam juxta Dei consilium in hominum vitam et cum ipso Deo, et nobiscum, et cum reliquis hominibus habemus. Suicida enim non solum Dei jura directe laedit supremam ejus potestatem sibi arrogando, concrediti muneris administrationem perdendo, deque ejus ope et providentia desperando, atque Deum ipsum tamquam infensissimum tyrannum impie aversando: verum et suipsius, et societatis jura dementi et iniqua prodigalitate subvertit. Stultus, iniquus, et crudelis in se ipsum suicida est. Etenim cum vita ceteraque jura singulis Dei voluntate tributa sint, et sub legis naturae tutela posita; cuique certe obligatio est ea sancte servandi, et in eum finem utendi fruendi, ad quem optimus ille parens largitus est: quare qui ea stulte in suam miseriam perdit, is cum sibi inimicus tum violatae legis universi ipso facto reus constituitur.

Nos autem non nobis solis nati sumus; sed parentibus, filiis, amicis, ceterisque juvandis. Jam vero si immane est facinus aliorum vitam auferre quia societatis legem conculcat, singulorum jura iniquissime laedit, publicam tranquillitatem perturbat, et membrum, quod communi utilitati inservire debet, abscindit: eadem profecto ratione sociali legi a Deo sancitae suicidium directe adversari dicendum est.

Quae cum ita sint, permultae adversariorum objectiones vanissimae apparent; neque ulla indigent amplius refutatio-

ne, utpote ea impudentissimi auctoris *epistolarum persicarum* ajentis, vitam esse beneficium ac donum nobis concessum, quod si grave fiat, renuntiari ac reddi possit. Enim vero ex demonstratis patet, vitae nostrae nonnisi depositum et administrationem concessam nobis esse cum jure utendi fruendi ejus fructibus, ac promerendi perfectam felicitatem: vitae autem et mortis potestatem ac dominium penes Deum plenissime permanere. Ineptissima quoque inde apparet ejusdem auctoris ratiocinatio, dum ait. » Numquid providentiae or» dinem violaverim, si materiae modificationem immutem, » et globum ex rotundo quadratum faciam ? Quando e cor» pore mens mea soluta fuerit, nihil detrimenti inde capiet » orbis universi ordo et dispositio: ubi corpus meum aliam » induerit formam, non minus sublimis erit anima ». Hoc quidem loco, ut cuique perspicuum est, ordo physicus cum morali confunditur. Nec suicidium sane, nec homicidium, nec flagitiosissima quaeque crimina physicas leges perturbant; moralem autem certe conculcant. Itidem ceterae omnes difficultates per se corruunt, quae vel *falso laborant supposito*, utpote quae ex atheismi. materialismi, fatalismi, aut metempsychosis erroribus derivantur: vel quae *ignorant elenchum* confundentes suicidium proprie dictum directe illatum, cum morte, quam praeter intentionem oppetamus: quemadmodum est stultissima illa Barbeyracii criminatio contra quosdam Ecclesiae Patres quasi suicidii errorem docuerint, Justinum scilicet, qui (1) commemorat quosdam christianos *qui martyrii desiderio flagrantes sese fidei persecutoribus sponte offerebant*, et Cyprianum (De exhort. martyr.) qui de martyrii palma asserit. « Amplectenda res est et optanda et omnibus » postulationum nostrarum precibus expetenda ». Atque ita porro. Sed apage ineptias.

Praetermissis itaque iis omnibus objectionibus vel incredulorum, vel ceterorum aliorum a quaestionis statu rece-

(1) Apologia 2. c. 4. §. 12. Justinus autem suicidium *directe* illatum *Dei voluntati contrarium* esse expresse docet.

dentium; unum tantum accuratiorem disquisitionem postulat, quod multos praestantissimos philosophos vel dubios, vel a veritate aberrantes fecit. Scilicet, certum exploratumque est cuique sanae mentis philosopho, suicidium directe et ex proposito illatum lege naturali omnino prohiberi: sed quaeritur, utrum aliquo in casu censeri possit, Deum hanc naturae legem dispensare. Existimaut enim, Deum naturae voce impunitatem moriendi facere, cum in maximis vitae calamitatibus et aerumnis versemur. Ita ex. gr. Tullius (Disp. Tusc. l. 1.) « Vetat dominans ille in nobis Deus injussu hinc » nos suo demigrare. Cum vero causam justam ipse Deus de» derit, ut tunc Socrati, nunc Catoni, saepe multis; nae » ille, medius fidius, vir sapiens laetus ex his tenebris in lu» cem excesserit illam: nec tamen vincula carceris ruperit, » (leges enim vetant); sed tamquam a Magistratu, aut ali» qua potestate legitima, sic a Deo vocatus exierit ».

Jamvero animadverto, omnes causas hujusmodi, quas effingere possunt, ad duo tantum capita reducuntur; vel ad mala physica, vel ad mala moralia. Examinemus igitur an in aliquo saltem casu hae causae tales sint, quae Dei veniam, aut jussionem de morte sibi inferenda demonstrent. Et quoad mala physica ajunt: tantae aliquando incidunt rerum adversitates quae in abyssum miseriarum nos demergunt, ut nusquam spes ulla evadendi effulgeat; tunc ergo desiderium felicitatis ab ipso Deo nobis inditum recte nos admonet, mortem unicum remedium esse malorum. Huic difficultati cum distinctione respondeo: in falso incredulorum, et praescindentium systemate desiderium felicitatis suicidium persuadet, transeat; in vero ordinis naturalis systemate, quod cum futura vita necessario conjungitur, nego. In primis autem non tam facile concedendum est (si res per se, et sine passionis tumultu consideretur) etiam in falso eorum systemate qui calculum bonorum et malorum in hac vita circumscribunt, desiderium felicitatis suicidium persuadere. « Etenim inferre » sibi mortem (recte ajebat D. Thomas 2. 2. q. 69. a. 4. ad 2.)

» ad alias hujus vitae miserias evitandas est majus malum » assumere ad minoris mali vitationem, quod etiam indu- » bitanter est contra rationem ». Porro mala physica vel talia sunt quae aliis intellectualibus, et physicis bonis compensantur; vel si gravissima, non admodum duratura; spes autem et tranquillitas nunquam fortem virum deserit, quem *si fractus illabatur orbis*, inquiebat Horatius ut ut epicuraeus, *impavidum ferient ruinae.* Quare hujus infandi facinoris causa a vero phrenesis morbo repetenda est. Cum enim quidam vehementi animi perturbatione et viva imaginationis vi perculsus in alicujus objecti idea defixus inhaeret, paullatim omnes animi facultates in id assumuntur, praeter quod, nihil eum amplius allicere potest: quo amisso, cetera ei inutilia et intolerabilia videntur. Itaque aut illico in desperationem et furorem proruit; aut si minus ardens natura sit, et melancholiae morbo laboret, diutius in suo corde machinatur sui ipsius caedem quousque perficiat.

Ceterum in systemate epicuraeo cum privata utilitas hujusce vitae non abstracte sed *concrete* dimetienda sit, scilicet ex gustu et opinatione cujusque; hinc nullum argumentum in eum valere potest, qui dum ad interitum ruit voluntarium dicit.

Mihi sic usus est, tibi quod opus est facto face.

(Terentius Eautontim.) Praesertim cum si quidam e. g. in teterrimo inclusus carcere pro certo habeat, se post longas et miserrimas aerumnas aut fame conficiendum, aut igni cremandum, aut alio quodam ignominioso, et atrocissimo modo diutius excruciandum, et dicat; malo e. g. aspidis morsu mortem placidissime obire, vel carbonis fossilis fumo in meo lectulo vino inebriatum sensim sine sensu perire, quam talia pati; quid quaeso incredulo haec dicenti respondeas? Nisi ejus impietatem tollere studeas, nihil unquam proficies (1).

(1) Celebris fuit in Africa *Academia commorientium* vide Agatopistum.

Quare objectionem hanc ab incredulis et praescindentibus factam prorsus omittimus: et cum iis tantum philosophis hic agimus, qui et concedunt, suicidium naturae lege prohiberi, et veram hominis felicitatem nonnisi in altera vita positam esse fatentur. Jam vero desiderium felicitatis juxta has veritates recte consideratum nunquam persuadere potest suicidium. Etenim si homines sunt hac lege generati, ut *justitiam colant et pietatem, eaque vita tantum via sit in coelum* ut ipse Tullius ajebat profecto recta ratio sicut in rebus ad voluntatem nostram fluentibus, justitiam, modestiam, temperantiam suadet; ita in adversis patientiam et in Dei ope fiduciam: hac sane ratione verae felicitatis jus et spes nunquam hominem deserit; et quo graviora quis forti animo patitur, eo magis illa augetur.

Atque ut nervosius argumentum conficiam: dico. Cum lex suicidium vetans certa sit, necesse est *certo* demonstretur dispensatio hujus legis in quodam casu a Deo facta. Atqui nunquam, nisi expressa Dei revelatione, id certo demonstrari potest. Enim vero repugnantia, quam in maximis calamitatibus perferendis sentit homo, non demonstrat Dei vocem, quae sine ullis ambagibus revocet eum a pugna, aut imperet, ut ab hujus vitae miseriis effugiat; secus enim quoties graves difficultates et incommoda humanae sensibilitati repugnantia superari debeant ad justitiam, honestatemque colendam, toties dicendus esset Deus suae legis obligationem homini relaxare, et crimina omnia permittere, aut imperare. Itaque ut recta felicitatis computatio legis hujus cessationem, seu dispensationem certo significet, demonstrari deberet, hujus vitae miserias aequo animo tolerare peccatum esse; quia nonnisi in hoc casu suicidium esset medium ad veram felicitatem adipiscendam. Tantum vero abest ut id peccatum sit, quin potius omnibus philosophis contrarium certum perspectumque est. In quo enim consistit patientia, et fortitudo animi? nonne ait idem Tullius (Lib. 1. de off. c. 20.): for» tis animus et magnus . . . in rerum externarum despicien-

» tia ponitur, cum persuasum sit, nihil hominem nisi quod » honestum decorumque sit aut admirari, aut optare, aut » expetere oportere, *nullique neque homini, neque perturbationi* » *animi, nec fortunae succumbere* »? Quare merito Aristoteles inquit (L. 3. ad Nicomachum c. 11.) « Mori ut paupe» riem vel dolorem, vel molestum quidpiam fugiamus, for» tis viri minime est, sed potius timidi ». Virtutis enim gradus et splendor ex obstaculi superati difficultate dimetiri debet. Verissimeque canit Martialis. L. 2. epigr. 57.

Rebus in adversis facile est contemnere vitam.
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

At enim insistunt adversarii: mors quidem injustitiae turpitudinique anteferenda est: ea enim et hominis officio, et felicitati alterius vitae omnino adversantur: ergo saltem ad vitanda mala moralia atque etiam gravissima et proxima peccandi discrimina, quae non secus ac peccatum ipsum effugere debemus, licebit aliquando sibi mortem consciscere: utpote si quis vel exquisitissimis cruciatibus, vel maximis sensuum illecebris a nefariis hominibus ad inhonesta cogendus sit.

Difficultatem hanc ita D. Thomas dissolvit dicens. « Non » sunt facienda mala ut veniant bona, vel ut vitentur mala, » praesertim *minora* et *minus certa:* incertum est enim, an » aliquis in futurum *consentiat* ad peccatum. Potens est enim » Deus, quacunque tentatione superveniente, liberare a pec» cato ». Et ut ad rem nostram criterinm hoc applicemus: ita dissero. Tunc tantum lex aliqua suspenditur, aut cessat; cum inter hanc et aliam (quae tamen sit majoris momenti) vera collisio intercedat (Vide Tr. Gen. Sect. III. c. II.): atqui in nostro casu, quae timentur mala minoris momenti sunt, non solum quia minus certa, sed etiam quia plerumque minus gravia, semper autem expiabilia: nunquam porro vera collisio intercedit inter legem suicidium vetantem, et aliam quamcumque ad quam violandam externa coactione urgeamur: externa enim coactio non necessitat ad consensum. Semper igitur in nostra potestate est et vitam servare, et a re-

liquis peccatis dissentire. Imo perfacile dissentire et quaevis discrimina intrepide subire poterit quisquis in ea licet gravissima peccandi pericula vi inique impulsus Dei opem imploret. Quemadmodum virgo Lucia turpissimis Paschasii minis secure respondit: *si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.*

Nulla igitur excogitari causa potest, qua demonstretur legem gravissimam et certam suicidii crimen vetantem a Deo dispensari, nisi Deus ipse positiva revelatione sine ullis ambagibus veniam dederit.

Unica superest extrinseca objectio, in qua magno eruditionis apparatu fucum facere conantur, sed paucis rem concludam. Sacrae Literae, (ajunt adversarii) dum referunt mortes spontaneas, nullibi hoc factum tamquam crimen cuidam exprobrant, imo vero Sampsonem, Eleazarum, Raziam summopere commendant. Virgines nonnullae igni, ferro aut praecipitio mortem sibi virili pectore intulerunt, et ob ipsam mortem perillustres christianae fidei martyres ab Ecclesia universa habentur. Praeterea fere omnibus veteribus populis et philosophis innumeris suicidium, saltem aliquo in casu, omni culpa vacuum, atque etiam summopere commendandum visum est. Nihili ne faciendus est universalis iste consensus?

Postremae huic objectioni in primis oblique respondeo. Cognita ex demonstratis intrinseca suicidii malitia, non amplius tenemur extrinsecas hasce difficultates in trutina ponere. Etenim contra firmissima logicae criteria est, ob quasdam alienas et extrinsecas difficultates, quarum solutionem nondum fortasse quis perspectam habeat, vel oppugnare, vel saltem dubiam habere veritatem evidenti ratione demonstratam.

Ceterum directe rem perpendamus. Ac primum quoad s. Scripturarum, et Ecclesiae Catholicae auctoritatem, dico: vel hanc adversarii considerant tamquam auctoritatem humanam, et tunc eadem responsio valebit, quam mox dabimus

reliquis factis ex historia profana depromptis. Vel tamquam divinam auctoritatem assumentes veluti argumento *ad hominem* contra nos, qui catholici sumus, ea utuntur: et tunc apposite ita respondemus. Divina quidem est sacrarum Scripturarum auctoritas; verum Deus qui revelationem sive scripto sive verbo traditam hominibus dedit, *ne circumferamur omni vento doctrinae*, posuit in Ecclesia sua tribunal infallibile, legitimum revelatarum veritatum interpres. Atqui Ecclesiae tribunal certo declarat, nunquam licere, absque speciali Dei revelatione mortem sibi ex proposito et directe inferre: atque haereticos illos africanos, *circumcelliones* nuncupatos, oppositum docentes anathemate rejecit. Ergo illa octo, vel decem spontaneae mortis exempla, quae quadraginta saeculorum spatio accidisse in veteri Testamento narrantur, et reliqua exempla ex historia ecclesiastica petita, vel improbanda omnino sunt facinora, quemadmodum fuit Abimelechi, Saulis, Achitofelli, et Zambri suicidium, quorum agiographus historicus sicut crimina, quibus se in vita contaminarunt, ita desperatam mortem retulit: cetera autem exempla vel non sine aliquo divino numine et impulsu evenisse dicendum est, vel proprie dicti suicidii spontanei rationem non habent, utpote fuit praeclara Sampsonis, et Eleazari mors, quorum primus instinctu divino, et vi divinitus immissa, neque certe in suae vitae odium Philistaeorum robur dejecit: alter vero id egit, quod in strenuo quovis milite summis laudibus extollitur, ut ad patriam defendendam summa vitae discrimina maximo cum hostium damno intrepide subeat. Quoad tragicam vero commendatissimi senis Raziae mortem: de quo sacer scriptor dicit, quod seipsum interfecit « eligens *nobili-* » *ter* mori potius quam subditus fieri peccatoribus, et contra » natales suos indignis injuriis agi »; si ejus agendi rationem excusare velimus, vel dicere possumus mentem miseri senis ab hostibus inique circumventi extra se elatam, per errorem inculpabilem, honestum censuisse sua manu potius vitam profundere, quam hostium pedibus proculcari: vel non

sine Dei impulsu id fecisse putandum est. Alterutrum sana aequum est dicere, cum optimum senem sanctissima honestatis et pietatis sensa usque ad ultimum spiritum retinuisse accipiamus. Christianas vero superius commemoratas virgines ideo pro martyribus coluntur, quia « hoc fecerunt non hu» manitus deceptae sed divinitus jussae, non errantes sed » obedientes » ut Augustini verbis Ecclesia semper expresse significavit.

Cur tandem, nisi ad pessimae suae causae patrocinium undequaque captandum, in veterum populorum et philosophorum auctoritate tantopere insistunt? Mitto enim atticas leges, quae suicidam sepoltura privabant; romanas, quae in eum, qui contra suam vitam quidquam tentasset, ultimum supplicium decreverunt; sinenses qui ejus bona vulgabant: et alia hujusmodi: atque hujus tantum argumenti valorem logicum perpendo. Itaque in facto auctoritatis *sensus naturae communis*, quando scilicet *semper ubique omnes* in aliqua veritate consenserint, distinguendus omnino *est ab opinione* etiamsi latissime propagata: ille semper cum veritate concordat eamque jure confirmat, est enim ipsius naturae vox: opinio vero quantumvis propagata criterium veritatis esse non debet, quia stare itidem potest et cum veritate et cum errore; cujus rei luculentissimum exemplum est polytheismi superstitio per universum orbem diutissime effusa. Atqui sententia de suicidii honestate est mera opinio, non enim semper ubique ab omnibus retenta est: ergo nullius est ponderis: ea autem repudianda prorsus est, non solum quia, ut erudite demonstrat Agatopistus Cromatianus, (Opere superius citato.) erronea hujusce opinionis origo cognosci facile possit; cum videamus, sententiam hanc inter eos populos invaluisse, in quibus errores de *mundi anima*, de *emanationibus*, et de *metempsychosi* altas egerant radices: unde suicidii consilium in pluribus vitae casibus optimum censeri deberet: sed multo magis opinio ista repudianda, quia firmissimis rationis argumentis ejus falsitas invicte, ut arbitror, demonstrata est.

Corollarium. Quae suicidium directe illatum legi naturali contrarium demonstrant, eadem Mutii Scaevolae, Zopiri, Origenis, aliorumque facinora, qui falsa honoris, aut utilitatis, aut honestatis et virtutis opinione ducti, sui corporis membra depravarunt, vel adusserunt, vel amputarunt, vel aliud quiddam contra vitae integritatem et incolumitatem fecerunt, tanquam iniqua, et stulta itidem condemnant. Non solum quia haec immania facinora sine vitae ipsius discrimine vix tentari possunt: verum etiam quia vitae corporisque nostri cum omnibus suis partibus non proprietas et dominium, sed usura tantum nobis concessa est. Qua tamen in re praeter expressam Dei dispensationem, alia quoque dari potest ratio cur aliquid hujusmodi jure fieri aliquando liceat : quando scilicet e. g. membri amputatio opportuna, vel necessaria sit ad vitam ipsam tuendam : tunc enim membrum illud naturali morbo per se periit, vitaeque incolumitati officeret : partes autem ordinantur ad totum.

ARTICULUS II.

De positiva suae vitae cura.

Si Deus vitae nostrae depositum administrationemque nobis credidit, profecto non modo vitae odium, et quidquid ei nocere possit directe tentare abscisse vetat, verum etiam una jubet vitae amorem et curam ejus agere ; ut scilicet caute declinemus ea quae nocitura vitae corporisque incolumitati forent, quaeque ad valetudinis conservationem, et reparationem sunt necessaria, iis diligenter utamur. Pars haec *affirmativa* hujus praecepti ad certas quasdam actiones vel omissiones opportuno tempore, loco, ac modo faciendas obligat. Sicut autem ceterae virtutes morales, ita haec peculiaris de suae vitae cura in mediocritate consistit. Quare si cauta et rationalis periculorum vitatio, moderatus cibi et potionis usus, prudens virium exercitatio, ac cessatio, quae ad mem-

bra firmanda, ac reficienda natura omnino exigit, hominis officium est et jure laudatur: contra autem in vitio est, si aut per *excessum*, aut per *defectum* in his omnibus nos geramus. Quamquam vero vitae tuendae *incuria* vel ipsi naturali instinctui, qui nobis cum reliquis animantibus communis est, prorsus repugnet; attamen in hominibus, iis praesertim qui aut ambitione, aut avaritia, aut stulta animi jactantia laborant, non raro contingere videmus, ut vel ab illis quoque vitae adjumentis misere abstineant,

Queis humana sibi doleat natura negatis,

vel in gravissimis, et non necessariis laboribus perferendis inhient, aut falso honoris idolo vitam stulte profundant. Haec quidem flagitiosissima sunt, et a turpissimis vitiis orta. Verum a suae valetudinis, et vitae neglectu cavere illi etiam viri debent, qui honestis laboribus morumque disciplinae student: fieri enim aliquando potest, ut discendi cupiditate, et alios juvandi amore abrepti, suae valetudinis curandae eos facile capiat oblivio, vel laudabili voluptatis illecebras coercendi studio incitati nimis durum et asperum vitae modum imprudenter aggrediantur; ac illud denique animadvertant, fractas tandem vires eo deventuras, ut *nec sibi nec alteri*, ut dicitur, prodesse possint. Omne autem immoderatum vituperabile.

Sed in hoc genere *per excessum* multo facilius peccatur: non solum ab iis de infima faece, qui per ingluviem, ciborum nimietate se ingurgitant, vinoque sese hebetant, sed ab ea quoque in cute curanda plus aequo operata delicatorum hominum multitudine, qui dum omnia vitae beatae lenocinia summo studio, et exquisita nimis cura undique conquirunt, plurimos otii, mollitudinisque comites morbos sibi comparant, et intempestivam senectutem.

Porro non solum media conservandae vitae, verum etiam valetudini recuperandae accommodata lege naturae utenda praecipiuntur. De usu autem medicamentorum et curationum in corporis morbis haec regula a Doctoribus traditur: ut in

morbis gravioribus ad remedia *communia*, et experientia comprobata adhibenda omniuo teneamur; quemadmodum sunt e. g. medicum accersere, ejusque prudentibus consiliis uti, cum ad valetudinem recuperandam, tum quoque, si opus sit, ut opportunum auxiliorum spiritualium nobis comparandorum tempus mature dignoscamus. Quoad reliquas vero curationes et medicamenta vel insueta, vel multo acerba et dura, vel pudori magnopere repugnantia, aut quae rei familiari gravi detrimento futura sint; ad haec legis naturae nulla obligatio est, nisi forte de talis viri valetudine agatur, ex cujus vita aliorum substentatio, et incolumitas dependeat. Ratio vero cur generatim loquendo ad haec insueta et graviora remedia non obligemur haec est. Quia praeceptum de adhibendis mediis ad valetudinem restituendam eatenus obligat, quatenus morali certitudine et prudentia haec vel illa media necessaria ad id cognoscantur, et bonus inde exitus vel certo, vel multo probabiliter praevideatur. Regulae autem istae sapientissimae ex firmis medicinae principiis eruuntur. Fundamentalia enim medicinae criteria a summis praestantissimae hujus artis luminibus Hippocrate, Sydenamio, Baglivio posita haec sunt. Naturam esse veram morborum curatricem; medicum autem naturae ministrum: ejus munus esse multum considerare, perpauca agere: scilicet primum removendo obstacula, ne naturae cursus intercipiatur, sed morbi causae mira ipsius naturae operatione tamquam digestae depellantur: tum diligentissime et undique morbi syndrome circumspecta, pauca, eaque simplicissima, et longa experientia comprobata ad varia morbi stadia, et ad naturae cursum ac vires coadjuvandas peropportune subministrando. Farragini medicamentorum sollicite operam dare, prorsus stupidum est. Remedia vero rara et magno apparatu ac sumptu conquisita imposturae et turpi quaestui referuntur accepta.

Ceterum praeceptum hoc de vitae nostrae cura non ita accipiendum est, ut ceteris omnibus anteferatur. Non enim hic noster finis ultimus situs est, neque nobis solis nati su-

mus. Sicut enim in tribus canonibus de legum et jurium collisione statuimus, si praeceptum *affirmativum* cum alio vel aequali vel graviori, praesertim *negativo*, quod nequeat in aliud tempus differri conflictetur, tunc ejus obligatio vel suspenditur, vel cessat omnino. Itaque omittere suae vitae curam, vel aliquid etiam agere, unde oblique et praeter intentionem mors nostra sequatur, licere aliquando potest, aliquando magnae virtutis est, aliquando absoluta obligatio. Si enim nostra actio vel omissio privatae aliorum vel publicae saluti, praesertim spirituali procurandae, vel honori Dei servando necessaria vel peropportuna sit, viri fortis erit maxima suae quoque vitae discrimina contemnere. Verum fortitudo est ea virtus quae voluntatem inclinat ad *rationabiles* labores, et *justa* pericula aggredienda: quare excutienda quidem est animo timiditas, et gravia etiam discrimina forti pectore adeunda, sed quae, et quando, et sicut recta ratio oportere suadet. Duo ergo opposita vitia vitanda sunt *timiditas* et *audacia*. Timidus namque animus et abjectus vi suae trepidantis phantasiae sibi fingens montes impervios et teterrima mala, nihil unquam magni audet, et veram saepe sibi adsciscit calamitatem: realia vero mala contra rationem formidando, suum officium turpiter deserit. E contra qui vitae exitia inani jactantia contemnit, stultus habeatur sibique inimicus. Itaque adeunda sunt vitae discrimina; primo, si finis sit *gravis* idest vel aequalis, vel majoris etiam momenti quam vitae nostrae conservatio, secundo, si actio vel omissio haec vitae nostrae periculosa *unicum medium* sit ad eum finem obtinendum: tertio si ex nostra actione vel omissione prudenti certitudine optatus exitus sperari possit. Positis autem duabus postremis conditionibus, si finis nobis propositus sit etiam majoris pretii quam vita nostra temporalis; tunc adire certa quoque vitae exitia omnimoda obligatio est. Secus praeclarae animi magnitudini, maximoque virtutis splendori tribuendum. Sin autem vel una tantum ex conditionibus desit, vitanda prorsus sunt talia discrimina, ne nostrae vitae prodigi efficiamur.

CAPUT III.

DE CURA STATUS EXTERNI

Status externi nomine ea dos, seu praeparata et permanens externorum bonorum copia intelligitur, quae tamquam vitae naturalis et moralis substentaculum sit, ubi hominis conditio in suo gradu firma consistere possit. Haec duplicis generis sunt, tum ea quae *bona fortunae* dici consueverunt, tum ea quae *bonae famae* vocabulo comprehenduntur. Itaque breviter et seorsim consideremus quid de hisce bonis lex naturae omnino jubeat, quid hominis arbitrio permittat, quid abscisse vetet, quid denique optimum factu sit in bonorum istorum cura.

ARTICULUS I.

De bonorum fortunae cura

Primum itaque quoad *fortunae bona* lex naturae jubet industriam et diligens studium ea sibi comparandi et custodiendi. Etenim ut vivere recteque suum animum excolere possit homo, necessaria omnino sunt ei bona ista prompta parataque quae ad victum cultumque corporis, et ad ea omnia, quae natura desiderat, explenda accommodata sunt. Igitur ea lex quae jubet finem, scilicet nostrae vitae custodiam, animique culturam, jubet simul usum legitimum istorum mediorum: atqui usus iste legitimus haberi non potest, nisi multa diligentia, studio et industria ea bona nobis comparemus, et conservemus: neque enim *virgula divina* (ut ajunt) haec nobis suppeditantur, neque poetica Saturni aetate vivimus, qua *nullo subigente arva, nulloque poscente, ipsa tellus omnia libentius ferebat:* sed infinitae propemodum sunt humanae vitae indigentiae, quae innumeras et omnigenas res hominum manu et arte quaesitas et praeparatas exigunt. Aut igitur iis

bonis uti frui debemus, quae industria nostra nobis comparaverimus, et diligenti cura servemus, aut aliena inique extorquenda. Neque quis forte dicat, haec ideo *fortunae* bona nuncupari, quia copiae, opes, divitiae in casu positae temporibus gubernantur, et persaepe in ineptissimorum et dormientium sinum copiosissime confluunt. Etenim sine magna intelligentia, virtute, et industria, nec adversa vitari, nec secunda nobis conciliari ac retineri unquam fortuna posset: locupletissimaeque etiam haereditates homini inerti ac desidioso traditae brevi disperdantur necesse est. Quare sua diligentia et industria vir ipse secundam sibi effingit fortunam, aut oblatam retinet et scite conservat. (Vide Genuensem epist. X. ex academicis). Itaque inertia, desidia, rerumque suarum incuria naturae legem multiplici ac turpissima injuria conculcat: tum quia ea est corporis animique tabes, ex qua nascuntur innumerabilia peccata, et homo in paupertatem et egestatem conjicitur: tum quia humanae societatis leges desidiosi violant, non solum quia nihil utilitatis honestis artibus in eam conferunt, verum etiam quia ut suae necessitati et cupiditatibus satisfaciant, vi et fraudibus in aliena manum immittere coguntur. Hinc Legislatores sapientissimi ac Principes de suis subditis optime meriti nihil prius sanctiusque (post religionis tutelam) suae curae esse duxerunt, quam desidiosos civitate proscribere; artes omnes, industriam, honestaque studia excitare, et constabilire. (Vid. ep. XI. et XII. ex acad. Genuen.).

Praeter necessariam hanc rerum suarum curam lege naturali sancitam, uniuscujusque arbitrio permissum est, vel ampliores copias et divitias contemnere et contentum esse vivere parvo, vel eas studiose expetere, ut suum suorumque statum commodiorem faciat. Neque enim rei familiaris amplificatio nemini nocens vituperanda: idque eo vel magis licere censeas, quia quisquis sine injuria majores opes et copias quaerit suaeque utilitati studet, is necesse est ut eodem tempore multorum, opera et artibus sibi inservientium, iti-

dem utilitates augeat. In quibus autem major est animus, in iis pecuniae cupiditas spectat ad facultatem, qua in alios liberales sint, et ad reipublicae commoda utilitatesque amplificandas prospicere possint, quemadmodum sunt pupillorum hospitia, nosocomia, educationis domicilia, artium subsidium ac tutela et alia generis ejusdem : quorum magnanimitas et liberalitas maximopere commendanda est.

Verum hoc divitiarum studium et possessio res est sane lubrica periculique plenissima: quare *nihil iniquius quam amare pecuniam* (1), nullamque capitaliorem pestem opulentia esse, non solum sacrae Literae et philosophi omnes conclamant, sed vel ipsos poetas nihil aliud nervosius execrari solitos novimus, quam *auri sacram famem*, ejusque pestifera damna in allegorico illo Pandorae (quae omnium terrenorum bonorum ac divitiarum congeries et typus est) percelebri vase inexplebilium cupiditatum redundante poetae significarunt. Cujus rei ratio est, quia pecunia reprehesentat, sibique conciliat et fovet omnes terrenas delicias, potentias, honores, omnigenasque cupiditates : *omnia* quippe *obediunt pecuniae*. Proindeque caeca fortuna eos plerumque efficit caecos, quos complexa est (2). Itaque in divitiis vel expetendis, vel retinendis vel elargiendis duo opposita vitia diligentissime vitanda sunt ; alterum est *prodigalitas* seu *defectus sua conservandi, excessus erogandi*, quae ex imprudentia et stulta ardentique cupidine nascitur. Inconsulte autem largiendo, et luxuriose ad pabulum suarum cupiditatum opes effundendo, brevi et insperato in paupertatem ignominiosam se redactos frustra deflere prodigi coguntur. Quod juvenum praesertim proprium esse solet, et eorum, qui alterius industriae haeredes effecti, nesciunt quanto cum labore, quantaque diligentia et studio ea aedificia

(1) Eccl. « nihil est iniquius quam amare pecuniam: hic enim et animam suam venalem habet ».

(2) Tim. 6. « Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem et » in laqueos diaboli, et in desideria multa inutilia et nociva, quae mer» gunt hominem in interitum, et perditionem. Radix . . . omnium ma» lorum est cupiditas «.

extructa sint, quae brevi temporis spatio imprudentia et luxuries facillime dejicit. Alterum est vitium in bonis fortunae cautius vitandum : facillime enim *immodica et vehemens pecuniae divitiarumque cupiditas* innascitur, in quo *avaritia* est. Etenim quae honeste expetuntur fortunae bona, tamquam *media* ut necessitatibus et commodis hujus vitae recte consulamus, eorum studium nisi perspecte regatur, sensim convertitur in amorem ipsarum divitiarum: quia istae cum objectis gratis, ad quae ordinantur, longo usu et habitu consociatae aliquid boni in se ipsis habere censentur: hinc paulatim vehemens desiderium concipit avarus, nulli rei periculo et labori parcendi ut divitias undique congerat; amens ac timidus dies noctesque servat, duriter ac misere potius secum agendum putat, quam quidquid de suo acervo comminuere. Quod extremum insaniae est, et quaedam *idolorum servitus*, in qua sibi aliisque crudeles et impii Euclíones malis maestitiis, aegestate, et aerumnis cum suo thesauro misere conficiuntur. (Vide Plauti Aulularíam).

Itaque in bonorum istorum cura triplici ratione peccari potest, scilicet negligentia, prodigalitate, avaritia. Porro studium rem suam amplificandi per se honestum est: in magnis vero virtutibus ponendum, si id non tam in suam quam reipublicae utilitatem dirigatur. Verum sicut in ceteris fere rebus, ita in hac divitiarum cura, mediocritas eujusque statui accomodata et prudenti oeconomia conservata, qua nec pauperes, nec nimiis copiis affluentes simus, velut optima vivendi ratio, non solum a D. Revelatione, (1) sed ab omnibus ethnicis sapientibus, magnopere commendata est.

(1) « Divitias et paupertatem ne dederis mihi. » Vade piger ad formicam » Qui congregat in messe filius sapiens est, qui stertit aestate filius confusionis etc. » Enim vero paupertas voluntaria perpaucorum est, quibus coelitus datum est, ad angelicam vivendi formam pertinens.

ARTICULUS II.

De cura boni nominis.

Superest, ut de altera bonorum externorum parte dicendum sit, scilicet de nostri nominis commendatione et splendore. Qua in re nonnulli ceteroquin probi ac religiosi viri non admodum accurate et vere de humilitate ac modestia sentientes desiderium suae famae, honoris et gloriae extirpandum animo penitus esse censent; verentur enim ne si bona opera in publicum proferre studeamus, omnis eorum pulchritudo et meritum tetro amoris proprii veneno inficiatur (1). Quorum falsa sententia ex idearum confusione orta refutanda est; resque summi momenti accurate declaranda.

Itaque dico studium suae famae et gloriae *per se* honestum esse, in pluribusque lege naturali absolute sancitum: perspecte autem et accuratissime regi oportere, ne in pestifera vitia prolabatur. Et sane honestum in se esse desiderium hoc, ex eo primum deducitur, quod est *factum naturae*. Hominem enim videmus laudis et boni nominis desiderio in omnibus suis factis quasi quodam morali instinctu potenter duci, neque id in summis tantum viris, in quibus gloriae stimuli acutissimi sunt, sed in omnibus omnino etiam rusticis et pueris vix usum rationis adeptis cernere est, gratissimam cordis escam laudem et honorem esse; vituperari autem, contemni, contumelia et infamia affici quovis corporis dolore gravius et intollerabilius videri. Desiderium ergo hujusmodi inditum hominis animo natura est; sicut appetitio cibi et potionis. Quod enim semper et in omnibus itidem reperitur, naturale est; quod autem naturale, id per se bonum. Neque enim a natura tamquam a crudeli noverca geniti sumus, quae desi-

(1) S. Thomas I. 2. q. 77. a. 4. « Dicendum quod amor sui ordinatus » est debitus et naturalis, ita scilicet quod velit sibi bonum, quod con- » gruit : sed amor sui inordinatus, qui procedit ad contemptum Dei, po- » nitur esse causa peccati secundum Augustinum ».

deria nobis dederit inexplebilia, et veluti sitienti et esurienti Tantalo fugientes undas, et supra caput suspensos cibos tangere sit nefas.

Porro si rationem consulamus, apparebit appetitionem laudis aversionemque vituperii naturalem et essentialem esse homini rationali ac sociali. Etenim vera laus, fama, et gloria est attestatio et approbatio nostri meriti ab aliis facta: viceversa vituperium et infamia (1). Ex quo fit, ut recta et solida boni nominis celebratio cum in se tum in effectibus magnum sit bonum humano cordi jure gratissimum. Est enim signum veri meriti, vinculum societatis, magnumque virtutis incitamentum. Enim vero fama et gloria, si vera sit et solida, id efficit, ut per publicum testimonium certiores fiant homines de suis virtutibus et ad majora peragenda alacriores: unde evenit ut ab aliis colantur, amentur, omnibusque rebus juventur; quem enim suspiciunt, cui maxime fidunt, quem diligunt homines, aut cui se suaque tutius committi posse arbitrantur, quam ei cujus probitas, sapientia, virtus publice celebretur? Contra vero infamia ac vituperium est tristissima expulsio et quasi *excommunicatio* a corpore sociali. Quare appetitio famae, et infamiae aversatio validissimum *motivum* est ad virtutes morales, ac civiles excolendas; ad vitanda vitia, ignorantiam, errores, inertiam: hinc in proverbii consuetudinem venit, quod *honos alit artes*; *nox amica furibus*; *et scelestis omnibus*: cujus rei maximum exemplum ipsi christianae fidei heroes nobis reliquerunt: constat enim,

(1) Vocabula *laus, fama, et gloria* omnia itidem significant judicium et approbationem hominum de quadam nostra virtute, agendique ratione verbis expressam. In hoc autem differunt, quod *laus* potest esse approbatio ab uno vel paucis hominibus etiam semel significata: *bona fama* vel *bonum nomen* est laudatio per ora hominum passim diffusa: *gloria autem est illustris et pervagata multorum et magnorum vel in suos vel in patriam vel in omne genus hominum fama meritorum* (Cic.)

Contraque exprobatio juxta eosdem gradus dicitur *vituperium, infamia* et alia hujusmodi. Sin autem non verbis; sed aliis signis approbatio vel exprobatio fiat; habetur *decus, honor* et similia vel *dedecus, contumelia* etc.

quosdam, qui palam martyria fortiter fecere, dein superstites ad domestica negotia reversos in occulto turpiter deliquisse. Quapropter D. Literae ad nostram aliorumque aemulationem, *sicut in die honeste ambulandum hortantur, neque sub modio virtutum lucem ponendam, sed super candelabrum, ut nostra lux coram hominibus luceat.* Maximum ergo bonum omnique patrimonio praestantius gloria virtutum rerumque gestarum: contra vero divitiae etiam regales cum infamia miserrimae. Itaque merito inquit Sapiens (Eccli. 41) « Curam habe de « bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille » thesauri pretiosi et magni « et (Prov. 22) » melius est bo- » num nomen quam divitiae multae ». Praeclara autem haec Sapientis praeceptio; curam habe de bono nomine; quoad morales et civiles virtutes quae hominis arbitrio et majori perfectioni relinquuntur, de consilio tantummodo est; in ceteris vero sive generalibus, sive peculiaribus hominis officiis absolutam legis naturalis obligationem continet, qua scilicet jubemur viri frugi, justi et honesti nomen procurare, conservare et amissum pro viribus recuperare, et nosmetipsos in nostro peculiari munere exercendo peritos diligentesque ostendere: primum ut ipsi tales revera simus, quales videri volumus: quia sicut umbra corpus, ita bona vel mala fama virtutem ac vitium sequatur necesse est, tantusque est virtutis splendor et bonitas, ut etiamsi modestia eam occultare studeat, suos tamen radios ac bonum odorem usque diffundat; vitii autem foeditatem nulla calliditas, nulla simulatio penitus obruere valeat: igitur « negligere quemadmodum de » se quisque sentiat non solum arrogantis est, sed etiam om- » nino dissoluti ». Praeterea qui male de se audiunt, ii exempla mala aliis praebent ad imitandum, quod societati infensissimum est facinus. Quid autem stultius et iniquius, quam milites gloriosos agere et de se turpia praedicare falsa praesertim, et de rebus pessimis gloriari!

Ex quibus omnibus jure concludi debet, falsam omnino esse eorum sententiam qui laudis et gloriae desiderium hu-

militati contrarinm esse censent: res enim per se honesta ac perutilis cum omnibus virtutibus congruere debet amice. Fatendum tamen est, nisi in hoc laudis studio perspecte caveamus, in alterutrum ex oppositis vitiis incidere nos facillime posse, qnorum aliud per excessum peccat, aliud per defectum. Quae ut manifesta fiant, analysis de amore proprio, deque affectibus recte aut prave inde derivatis breviter, sed accurate instituenda est.

Homo rationalis in se ipsum animadvertens sese necessario diligit; idest gaudet de animi corporisque sui facultatibus; et quo meliores, sive natura, sive habitibns acquisitis, sive per gratiam infusis, eae fiant, eo magis gaudet; majoremque sui perfectionem usque ad vehementer appetit: quare odinm imperfectionis et vitii in hoc amore essentialiter includi necesse est. Porro huic perfectionis snae desiderio conjnncta est appetitio quaedam mediorum ad eum finem deducentium, inter quae non infimum locum tenet laudis et gloriae studinm, et aversatio ab infamia et contumelia. Hae igitur naturales et honestissimae per se appetitiones sunt, quibus carere rationalis et socialis homo omnino non potest. Ceterum cum in primario hoc desiderio et in ceteris ex eo derivatis, timor et odium imperfectionis, spes et amor perfectionis reciprocentur, seqnitur ut si alterutra ex iis affectionibus in animo praevaleat, et inordinate dominetur, in contraria vel superbiae vel animi demissionis vitia prolabamur. Etenim si homo, inspecta sua naturali miseria, et vi suae phantasiae difficultatem in virtutibus exercendis exagerans media ad ignorantiam depellendam, ad affectionum impetum coercendum, ad artes et scientias excolendas adhibere detrectet, sed moerore ac torpore confectus animo cadat; fit vilis, abjectus, suae famae negligens, nulliusque pretii. Contra vero homines suae perfectionis idololatrae, deque suis viribus ac virtute praefidentes in opposita detestabiliora superbiae, ambitionis, vanae gloriae, invidiae etc. vitia stultissime efferuntur. Cum enim sui magnitudo et excellentia in compa-

ratione cum aliis clarius appareat atque sentiatur, cumque ea omnia, quae nos statumque nostrum perfectiorem faciunt, supra alios nos extollant; nisi motus animi caute a ratione retineantur, accidit ut homo sui ipsius opinione inflatus ad hanc elevationem potissimum intendat animum; eamque veluti suum finem sibi proponat, ac ceteris praestare et excellere avidissime inhiet. En quomodo naturale et honestum suae perfectionis desiderium in *superbiam*, seu *in vehemens et inordinatum propriae excellentiae desiderium* perverse commutetur: atque hinc sponte nascitur *ambitio*, quae est vehemens et inordita appetitio eorum omnium, quae hominem supra alios extollere possunt, quemadmodum sunt dignitates, omnesque honoris et jurisdictionis gradus; hinc *vana gloria* idest inordinatum suae laudationis et celebritatis studium; hinc stulta cum ceterorum contemptu de suis virtutibus gloriatio seu *jactantia;* hinc *invidentia*, scilicet animi dolor de aliorum bono et praestantia, et ita porro de ceteris superbiae modificationibus. Quapropter concludendum est, animum vilem ac demissum media suae perfectionis deserere atque in sua miseria inhaerere et marcescere: in animo autem stulte sese efferente ac superbo perversam fieri mediorum in finem commutationem.

Vera sapientia, idest *humilitas*, media incedit tutissima et rectissima via: est enim *humilitas*, *mediocritas inter superbiam et vilem animi demissionem.* Enim vero non consistit humilitas in falso judicio de iis bonis quae in nobis revera sunt, neque excludit gratum sensum ac laetitiam de carentia vitiorum et imperfectionum, vel de existentia earum qualitatum, et virtutum, quibus nos praediti sumus; neque rectum in virtutibus proficiendi studium condemnat. Numquid enim qui e. g. optima corporis conformatione, ingeniique viribus praestat, humilis censeatur, si se caecum, claudum, hebetem putet? Amens potius habeatur. Neque porro fieri posse credam, ut his donis naturalibus praeditus non gaudeat, sed in virtutibus esse ex iis tristitiam sumere: primum enim

grati animi officium est accepta beneficia recognoscere, ad eumque finem, ad quem data sunt, iis sapienter uti.

Itaque sapiens humilis primum vera de se sentit, scilicet nihil ex se boni esse, sed meram infirmitatem et malitiam; quae autem in se bona novit, ea cum grati animi sensu Deo naturae et gratiae auctori refert accepta: ea vero omnia licet praeclara, imperfecta tamen semper esse et fragilia cognoscit: corporis animique vires deficere, ac perire et per superbiam vel in rebus inanibus disperdi, vel pessime depravari posse; ita ut utilius et sapientius aliquando sese gerat rusticus, qui simpliciter et innocenter vivens in suo agello bene excolendo totus sit, quam praestanti vir ingenio, qui inflatus opinionibus evanuerit et in malam partem declinaverit. Quare animus vera humilitate recte informatus de se timet; superbiam, fastidium, arrogantiamque magnopere sibi fugiendam putat, et quanto superior est, tanto se gerit submissius.

Attamen qui ita modeste et vere de se sentit, is eodem tempore de sua vera perfectione et felicitate recta ratione ac vehementi desiderio flagrans nihil praetermittit ad defectus et prava quaeque vitanda et tollenda; undique virtutum subsidia quaerit; sapientum dicto audiens usque addiscere, et proficere studet et illustrium virorum exempla sibi imitanda proponit. Quapropter a vera humilitate (ut perspecte ait D. Thomas) *aemulatio et magnanimitas* nascitur, quae consistit in vehementi desiderio (citra tamen invidiam et injuriam) imitandi atque etiam superandi praeclaras aliorum virtutes, et maxima quaeque, quae nostri ingenii et virium sint, aggrediendi et factitandi. Eademque humilitas dum est causa efficiens veram laudem, famam et gloriam, est itidem tutela firmissima, ne vano illius splendore hallucinemur et in superbiam stulte efferamur. Quia recta ratione et modo humilis vir de fama sentit, eaque utitur: laudem et bonum nomen nihil aliud esse, nisi *signum* meriti ac *medium* ad virtutum aemulationem, cum in nobis, tum in aliis excitan-

dam ; neque unquam pro *fine* suarum actionum sibi laudem proponit ; et nonnisi eam probat, quae verae virtuti rependitur. Non movetur assentatoribus virtutes suas exagerantibus ; neque pravis multitudinis opinionibus inservit : imo vehementer gaudet pro justitia et veritate contumeliam et infamiam inique subire, certus quod virtutis verique meriti lux cito omnes errorum nebulas dissipabit, et clarescet ubique magis.

Itaque verae laudis et gloriae quaerendae et collocandae ratio ea est, quam ethnici quoque sapientes praeceperunt (1), ut *potius esse quam videri studeamus:* ut scilicet primum nihil pravi et vituperatione digni sive clam sive palam geramus; tum ad virtutes, quae sunt verae gloriae fundamentum, potissime intendamus animum: quantum autem in iis profecerimus aliorum judicio, et D. Providentiae dispositioni relinquamus (2).

(1) Socrates apud Xenophontem Memorabil. I. 7. et II. 6. Cicero de Offic. II. 12.

(2) Nihil hic dicendum puto de sublimissimo illorum consilio, quorum *vita abscondita est in Christo Jesu:* qui soli Deo noti esse cupientes, de una eaque infallibili coelicolarum et Dei commendatione et gloria studiosissimi sunt.

PARS TERTIA

DE OFFICIIS ADVERSUS ALIOS.

Cum homo (ut in tractatu generali demonstratum est) ad statum socialem natura sua factus sit, sequitur, eumdem naturali obligatione teneri ad societatis legem servandam. Jamvero humana societas, quae consistit in unione morali hominum inter se, duobus effatis, omnia peculiaria hominis ad hominem officia comprehendentibus, tamquam essentiali fundamento innititur, scilicet I. - Jura cujusque sarta tectaque sunto. II. - Aliorum indigentiae pro virili subveniatur. Quorum alterum officia *justitiae*, alterum *charitatis* seu *benevolentiae* officia continet. In eo enim vera moralis unio et amicitia posita est, primum ne cui noceatur, tum ut aliorum utilitati serviatur. Itaque de duobus hisce officiorum socialium generibus bifariam distinctis sectionibus pertractabimus.

SECTIO PRIMA

DE JUSTITIA GENERATIM.

Generalis lex justitiae, quae jura cujusque integra servanda jubet, tria decreta complectitur. I *Neminem laede.* II *Qui aliorum jura laedere attentaverit, in officio contineatur.* III *Qui eadem ulla in parte laeserit, punitioni, et compensationi subjiciatur.* En praecellens ea et providentissima conservationis et reparationis lex, quae sicut in ceteris naturae partibus, diverso tamen modo ac ratione, ita in societate conservanda et reparanda viget.

CAPUT I.

DE NEMINE LAEDENDO.

ARTICULUS I.

De juribus singulorum nulla in re laedendis.

Beneficentissimus naturae Auctor singulis hominibus veluti in patrimonium vitam tribuit, praecellentibus animi corporisque facultatibus praeditam. Ne autem quae ad suam felicitatem tradita illis sunt, per imprudentiam, aut oscitationem, aut malitiam in sui perniciem verterent; severissimam cuique legem sancivit, ut animum diligenter excoleret, suaeque vitae nec non ceterarum rerum, quae tanquam vitae substentacula essent, curam sedulo ageret. (Pars II.). Jamvero si ad haec officia quisque naturae lege omnino obligatur, necesse est, ut jus relativum ad omnia haec et singula custodienda cuique una tribuatur, scilicet libera et expedita facultas agendi quidquid ad sui rerumque suarum conservationem ac perfectionem necessarium aut opportunum judicaverit. Itaque duplicis generis proprietates et jura singulis tributa sunt, ac sub legis naturalis custodia posita, alia *personalia* sive ad animum, sive ad corpus pertinentia, alia derivata et legitimo facto nobis comparata, quae *status externi* nomine veniunt.

Quamquam vero et in animis et in corporibus, et in externo statu magnae dissimilitudines et *accidentales* varietates inter homines deprehendantur, attamen in *essentialibus* omnes aequales natura sua constituti sunt: ac sicut duo circuli, quorum alteri sit radius cubitalis, alteri milliarius, magnitudine quidem inter se valde differunt, in circuli vero proprietatibus identici et aequales sunt; eadem prorsus ratione singuli homines sive magni sive parvi, sive divites sive

pauperrimi, sive mediocri sive praecellenti ingenio pollentes, omnes itidem participes sunt rationis praestantiaeque ejus; omnes facultate existendi, vivendi, suamque felicitatem quaerendi aeque gaudent. Itaque differentia vel maxima est in *physicis*; in *moralibus* vero perfecta aeqnalitas: neque enim jura sapientis ac divitis potiora ducere prae juribns rudioris ac pusilli possis; nisi illum hominem, hunc autem semihominem aut belluam censeas. Quae cnm ita sint, si naturae ordinatione singulis hominibus sua jnra aeqne tributa sunt, sequitur, quamlibet in alios illatam laesionem justitiae prorsus repugnare.

Itaque tota justitiae ratio, ac fundamentnm, nt perspecte monet Lactantius, in naturae similitudine, et perfecta inter homines jurium aequalitate consistit. Etenim in ea ipsa naturae lege et ordinatione, qua singulis hominibus sua jura *aeque* tribuuntur, necessario includitur relativa obligatio, ut qui in eodem plano atque ordine constituti snnt, iis hominem sui similem ulla in parte laedere abscisse prohibeatur. Secus enim si dum singulis hominibus facultas rationi conformis conceditur se suaque conservandi, iisque arbitrio proprio utendi fruendique convenienter naturae suae, eodem autem tempore ceteris, qui in eodem gradu et aequalitate sunt, aliena haec jura intercipere, ac laedere liceret: sibi certe contradiceret sapientissimus naturae Auctor, qui daret homini simulque auferret quod datnr; essent haec et non essent jura; vellet Deus humani generis conservationem simulque destructionem, quod nefas dictu est.

Quapropter statuendum est, quamcumque laesionem alterius proprietatibus ex proposito et intentione directa illatam (sive id ex inimicitiae odio in ejns tantum perniciem sine ulla nostra utilitate fiant, sive ut alterius damno aliquid nobis commodi comparemus) justitiae et societatis legi omnino adversari.

Primum ergo injustitiae genus *homicidium* est, seu mors

alteri directe illata (1): iniquissimum quidem scelus, quo et supremum Dei in hominum vitam dominium sibi homicida usurpat, ejusque ordinationi superbe repugnat; et hominem sui similem ac socium natura sibi copulatum, maximo naturalium bonorum, unde cetera hujus vitae commoda et utilitates dimanant, immani facinore privat, et coram universa societate perduellis efficitur, omnium abominationi, ac *talionis* poenae (2) merito addicendus. Simili ratione de mutilatione, percussione, *plagiatu* (3), ceterisque minoribus injuriis in personae integritatem et incolumitatem censendum est.

Porro res alienas sive clam furari, sive palam et aperta vi abripere et sibi proprias facere, invito rationabiliter domino; aut quaecumque directa *dammificatio*, qua etiam sine ulla lucrandi causa alienae res vitiantur ac destruuntur; aut impedire, quominus res suas servare et augere quisque possit, altera est injustitiae seges hominum aviditati, ac malitiae latissime patens. Enim vero nisi sarcta tectaque haec vitae substentacula forent, ne vita quidem tuta et salva consisteret.

Cum autem, ut supra demonstratum est, melius sit bonum nomen quam divitiae multae; evidens est quanto gravius eo, quod in bona fortunae infertur, injustitiae genus sit habendum, alterius existimationem et famam aut verbis, aut scripto, aut facto inique laedere, scilicet negando vel extenuando recte facta, aut sinistre ea interpretando, sive etiam per calumniam falsum crimen imponendo.

Quaeret fortasse quispiam liceat ne aliorum crimina et vitia manifestare? Cui respondeo quisquis necessitate coactus ut suum vel aliorum jus tueatur, judicibus aliisve eadem revelet, is jure suo utitur. Sin autem nulla rationabili de

(1) Homicidium aliud est *simplex*; aliud *qualificatum*, cujusmodi est occisio parentum ac propinquorum, quae *parricidium* dicitur, itemque homicidium *sacrilegum*, *proditorium* etc.

(2) Talionis nomen ex eo deducitur effato. « Qualis culpa talis poena ».

(3) *Plagiatus* seu mancipatio liberi hominis.

causa id faciat; non cum contra proprie dictam justitiam peccare putem, quia sublato virtutis fundamento, jus ad viri boni famam nullum ei superesse videtur: verumtamen charitatis legem violaret, qua alienae miseriae misericordes esse jubemur.

Ceterum quisquis, nisi forte honoris stimulis sit prorsus hebes et perditissimus, planeque dissolutus, is mendacis, furis, proditoris, sicarii, et similium nomen vehementissime reformidat; de maximo autem injuriae genere, quo nempe hominis animus pestifere depravatur, non itidem plerumque evenit. Perversos enim seductores, morumque corruptores ludentes et ridentes, atque etiam gloriantes in crimine pessimo quandoque videmus. Quanto autem anima corpus, vita mortalis aeternam antecedit, tanto censendum est reliquis injuriis praestare eam, qua vel alterius intellectus falsis dogmatibus imbuitur, vel per illecebras voluptatis aliaque passionum incitamenta voluntas hominum ad libidines, aliaque vitia irretitur; unde maxima hujus vitae exitia, et, quod deterius est, aeterna quoque perditio facile consequitur. Quare mirum esse non debet, si de pessima hac injustitiae peste, quae perfacile emanat, latissime propagatur, difficillime curatur, formidanda in D. Literis effata, et punitiones teterrimas comminatas videamus.

Concludam ergo quodcumque damnum, in quamvis hominis proprietatem directe illatum justitiae naturali omnino repugnare. Quando autem aut vitam alteri eripere, aut cetera ejus bona, quae praesentem ac temporalem solummodo felicitatem spectant, indirecte laedere liceat (quod ex omnimoda aequalium, vel potiorum jurium collisione tantum contingere potest) cum alias, tum capite sequenti disseremus. Hoc unum hic addam, positivam in alterius animum laesionem sive moralia et religiosa dictamina corrumpentem, sive voluntatem ad iniqua et inhonesta inducentem, nullo in casu ne indirecte quidem, etiamsi vita ipsa nostra in discrimen venerit, licere posse. Semper enim hujuscemodi actio

essentialibus hominis vel Dei juribus atque ultimo ejus fini prorsus opponitur (1).

ARTICULUS II.

De mendacio:

Justitia, quae ut inquiebam jus suum unicuique tribuit ac tuetur, primum jubet, abstinere se ab injuria. *Fundamentum est autem justitiae fides, id est dictorum conventorumque constantia et veritas* (2). Itaque lex naturalis tanquam generale ac primarium justitiae et societatis officium jubet *veracitatem*, vetat *mendacium*. Veracitas autem est uniformitas verborum cum interna loquentis sententia: uti e converso mendacium definitur *locutio contra mentem loquentis*. Ceterum cum animi nostri sensa, non solum verbis, sed nutibus etiam aliisque externis signis exprimi possint: hinc veracitas et mendacium generatim consistit in uniformitate aut repugnantia signorum quorumvis externorum cum interno animi nostri judicio ac sententia (3). Jam vero absoluta et fundamentalis societatis et justitiae praeceptio de veracitate omnino servanda facile cuique patet, si consideret, quod posita veracitatis lege, commercium, bona fides, ac societas inter homines consistere potest; ea sublata, tollitur. Quamquam enim vocabula, aliaque externa signa (si forte perpanca excipias, quae sunt spontanea

(1) Hoc in numero recenseri non debet scandalum mere *passivum* quando nempe a quadam nostra actione per se honesta ob alterius malitiam suscipiatur.

(2) Tullius de Off. l. 1. c. 7.

(3) « Ille mentitur (ait Augustinus *de mendacio* num. 3.) qui aliud » habet in animo, et aliud verbis vel quibuslibet significationibus enun- » ciat »: uno verbo eadem definitio aptari potest mendacio, quae de dolo malo a Labeone traditur, scilicet « omnis calliditas, fallacia, machinatio ad » circumveniendum, fallendum, decipiendum adhibita ». Itaque et *simulatio* quando nempe aliter quis sese exhibet per signa externa, quam revera est, et *hypocrisis*, quae est simulatio personae alterius, itemque *jactantia, adulatio* et similia, in quibus aliud significatur, aliud agitur, omnia itidem inter mendacia recensenda sunt.

et naturalis affectuum expressio) nulla necessaria relatione et naturali nexu copulentur cum ideis rebusque significatis, sed sint mera signa, quae ex libera institutione, conventione et placito ideis apposita sunt (1): attamen perspicuum cuique est, homines in hoc terrarum orbe, nullo alio modo ac medio suas ideas, desideria, et voluntates ceteris manifestare posse, nisi per haec externa signa, dummodo autem ipsa eodem sensu, seu certis ideis et conceptibus significandis determinata et hinc inde aeque ab hominibus intellecta accipiantur, et exhibeantur: quare nonnisi servata veracitatis lege, humanum commercium ac societas consistere inter homines potest. Enim vero si alter sub iisdem vocabulis ac signis rem quamdam, et ideam intelligeret, alter aliam prorsus diversam, oriretur confusio, dissensio, ac discordia inter homines sicut in campo Sennaar ad babelicam turrim, et societas omnis dissolveretur. Lex ergo naturalis quae societatem, justitiam, concordiam, bonamque fidem jubet, necessario una jubet veracitatem, vetat mendacium. Itaque quisquis vocabolorum significationem et valorem immutat, suisque fallaciis album pro nigro exhibet ac vendit, pejor et iniquior ipso nummorum falsario censendus est; nummus enim res tantum quae in commercio emuntur, venduntur, reprehesentat: linguae autem valor tanti aestimatur, quanti universa societas et bona fides valet. Quare homo bilinguis, simulator, hypocrita, et quisquis sive dicto, sive facto mentitur, communi hominum execratione ejectus eam poenam sibi propriam

(1) Non equidem hic definire praesumo, imo ne attingere quidem intendo, quaestionem a multis philosophis agitatam de origine et prima linguae inventione et institutione: utrum nempe necesse fuerit ut Deus eam edoceret homines; an homines ipsi per se paulatim, natura duce, eo devenire potuerint, ut signa quaedam idearum mutua consentione determinarent. Quaecumque fuerit, vel esse potuerit linguae origo, evidens est, certam vocabulorum determinationem ad ideam quamdam, et sensum exprimendum, repetendam esse ab institutione et voluntate vel humana vel divina, ac tandem ab acceptione, usu et consensione hominum eadem adhibentium.

habet, ait Aristoteles, ut statim ac turpi fraude innotuerit, etiam si postea verum dicit, amittat fidem. Contraque summis laudibus efferuntur, atque ab omnibus coluntur et amantur simplices et aperti, qui nihil ex occulto, nihil ex insidiis agendum putant veritatis cultores, fraudis inimici.

Non inde tamen concludas, virtutis esse omnia quaecunque in animo habeas passim et indiscriminatim proferre: est enim *tempus loquendi, et tempus tacendi:* linguam caute custodire, dissimulare, ac celare veritatem summae prudentiae persaepe est, aliquando etiam absolutae obligationis, cum scilicet secreti revelatio justitiae, aut charitatis legem violaret. Hinc merito ajebat sapiens : *cor stulti in ore ejus, os autem prudentis in corde.* Quando autem sive sponte arbitrioque nostro, sive ex officio loquimur, lege naturae omnino tenemur ad veracitatem, scilicet ut externa signa, quae aliis exhibemus, internae animi nostri sententiae ad amussim colliment.

Haec quidem perspecta et certa cuique non insanienti philosopho esse debent. At enim perdifficilis et lubrica quaestionis ratio inter sapientes agitata est, liceat ne unquam mentiri? Ut aliquid hac in re accurate determinari possit, in primis monendum censeo, non hic sermonem esse de improprie dicto mendacio, seu de mero materiali falsiloquio, quando nempe nulla mentiendi et fallendi intentio in loquente est, nullumque rationale errandi periculum in audiente (1).

(1) Hujus generis sunt omnes tropicae locutiones et ornamenta rhetorica, atque etiam illae loquendi formulae quae ex hominum consuetudine ad aliam significationem transferri solent ; utpote cum quis humilissimum servum ac mancipium sese alteri profitetur; aut cum eleemosinam postulanti nihil nobis praesto esse affirmamus; itidem mos ille passim ab heris usurpatus mendacii expers Card. Gerdilio visus est, qui cum suis negotiis occupantur , servis praecipiunt , ut cuicumque adveutanti, et de eis sciscitanti dicant aperte herum domi non esse. Simili ratione censuit Augustinus de falsiloquiis *jocosis*, non quidem de iis quae ad deludendam ac fallendam cujusdam simplicitatem, sed quae ad solam delectationem adhibentur « habent enim evidentissimam ex » pronunciatione, atque ipso jocantis affectu, significationem animi ne-

Neque rursus sermo est de mendacio, ut dicitur, *pernicioso*, quod praeter intrinsecam et propriam mendacii malitiam, hoc etiam habet pravitatis, quod nocendi causa fiat. Tota igitur quaestio versatur circa eum fictum ac fallacem loquendi vel agendi modum, quem novimus audientis animum in errorem inducere posse aut debere; sed eo utimur causa cujusdam utilitatis. Ne autem res per se satis involuta magis magisque implexa fiat, a praesenti disquisitione seponendum puto examen de mendacio, quod jurejurando confirmetur: id enim non solum sicut cetera mendacia bonae fidei et societatis legi opponitur, sed insuper virtuti religionis, Deique veracitati repugnat.

Fuerunt inter philosophos ac theologos non pauci, qui nimis faciles passim dari posse putarint justam causam mentiendi, quoties nempe non solum necessarium videatur, sed tantummodo *utile sit ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum*, quam in rem multorum veterum scriptorum verba referunt, qui ea mendacia laudant, quae patriae, aut parenti, aut amico aliquid profuerint; idque consueta proborum virorum agendi ratione confirmari ajunt, qui alterius commodi causa honeste mentiri posse putent, ut medicus ad infirmum renuentem curandum; imperator ut milites ad pugnandum alacriores faciat; navis gubernator, ut in maxima perturbatione ac discrimine sociorum animum relevet. Felix Christofori mendacium, ipsaque veritate praeclarius, quidam exclamat, quod nobis novum mundum aperuit.

Ceterum omnes saniores philosophi ac theologi consentiunt, veri nominis mendacium nunquam licere; sed tantum in vera legum et jurium collisione ad graviora officia servanda licite ea verba vel alia externa signa adhiberi posse, quae apta sint ad occultandam veritatem, quamquam certo praevideatur, per eadem audientem deceptum iri. In hoc

» quaquam fallentis, etsi non vera enuntiantis » L. contra mendacium c. 2. n. 2.

criterio, inquam, saniores sapientes una consentiunt, quamquam in hujusmodi signorum, quae alios indirecte in errorem inducunt, assignanda qualitate plus minusve inter se differant, ut inferius dicam.

Hujus autem criterii demonstratio haec est. Ad proprie dictum mendacium constituendum, non solum requiritur (uti monet D. Thomas 2. 2. q. 110. a. 1.) *ut falsum sit quod enunciatur, et quod adsit voluntas falsum enunciandi:* sed praecipue requiritur *intentio fallendi.* Ratio enim mendacii ex eo potissimum sumitur ut *quis habeat voluntatem*, idest *directam intentionem fallendi ac decipiendi*, adeo ut si quis meram aequivocationem, vel obscuram sed veram locutionem pronuntiet cum proposito fallendi, mendacii crimine reus constituatur. Quemadmodum vera suicidii et homicidii ratio posita non est in omissione vel actione, quae aut nobis, aut alteri afferat mortem, sed in intentione directa occidendi. *Actus enim judicantur secundum voluntatem agentium, voluntas autem movetur e re apprehensa, et secundum hoc qualificatur et specificatur actio*, ut perspecte ait alias laudatus doctor. Quisquis igitur ea signa externa adhibet, quibus noverit vel per se vel propter circumstantias aliquem deceptum iri, et ad hoc illa profert, ut eum decipiat, is vere mendax censendus est, remque intrinsece malam agit, quae ut demonstravi, fundamentali humani commercii et bonae fidei legi adversatur.

Non ita profecto est in vero legum aut jurium conflictu et collisione, quando scilicet gravius praeceptum urgeat, quod servari nequeat, nisi indirecte et praeter intentionem quemdam decipias, seu potius ejus deceptionem permittas. Certus est enim apud omnes canon iste: *si inaequalia jura et praecepta inter se conflictentur, quorum nullum in aliud tempus differri possit, minus cedit majori.* Jamvero si secreti cujusdam manifestatio aut patriae, aut parenti, aut amico, aut nobis exitialis foret, neque ulla alia certa ratione vitari hoc gravissimum damnum possit, nisi per hujusmodi signa veritas occultetur, quis jure reprehendat indirectam alterius deceptio-

nem, quae eidem nullo damno futura sit; cum pro his eisdem causis licitum censeatur injustum invasorem occidere cum moderamine inculpatae tutelae?

Haec quidem criteria rata et certa sunt omnibus sanioribus philosophis ac theologis. Caeterum qui cautius et remissius sese habent, censent, in hoc collisionis casu licitum non esse falsum omnino proferre, scilicet sive per verba, sive per alia externa signa contra mentem expresse loqui aut agere; sed tantum licitas esse *aequivocationes*, vel usum ut ajunt *duplicis scientiae et restrictiones non pure mentales*: nonnulli sophistice addunt *materialem locutionem* et alia hujusmodi (1).

Id autem asserunt duplici de causa. Primum nonnulli censent expressam veritatis negationem aut simulationem ideo non licere, quia id necessarium nunquam sit ad occultandam veritatem. Quemadmodum enim licitum quidem est iniquum vitae invasorem, si violentus sit, occidere, cum moderamine tamen inculpatae tutelae; non autem si per calumniam, et dolum nos nostraque impetere attentaret, quia per alia mitiora media injuria propulsari posset: ita a pari vel per circumlocutionem et aequivocationes, vel alia hujusmodi

(1) *Aequivocatio* est usus verborum duplicem aut multiplicem significationem habentium, ntpote si dicas Petrus non *est* domi; quod intelligi potest de Petro qui domi non sit, vel qui ibi non manducet: utrumque enim verbo *est* significari potest. *Restrictio autem non pure mentalis, et usus duplicis scientiae* dici possunt quaedam aequivocationis species; quando nempe verba proferuntur unum per se significatum habentia, sed qnae ex circumstantiis ad aliud referri possunt. Exemplo sit Athanasius, qui interrogatns a satellitibus Juliani an Athanasio forte occurrisset, eos eludens respondit, non longe illinc abesse; itemque Felix Nolanus qui ad necem ab ethnicis conquisitus et interrogatus ubinam lateret Felix, respondit: *nescio felicem, quem quaeritis*; et s. Franciscus, qui cum vidisset quemdam homicidam non longe a se fugientem, de eodem qni ad necem quaerebatur dixit sciscitantibus, *illac non transisse*, idest ubi ipse morabatur. Simili ratione dicendum de judice, aut confessario dicente Titinm esse innocentem, quem privata sententia reum noverit. *Locutio autem materialis* est merum falsiloquium, quod proferatur non ad significandum id qnod verba significant; quae est putida cavillatio ad mendacii nomen tegendum.

veritatem occultari posse ac debere, quin necesse sit ad falsiloquium aut absolutam simulationem recurrere.

Oppositae vero sententiae defensores respondent: si secretum gravissimi momenti, quod ex officio charitatis, aut justitiae aut etiam religionis servari debet, certo et evidenter custodiri possit per silentium aut meras amphibologias, tunc quidem falsiloquium non licere. At contingere utique posse ob circumstantias et interrogantis calliditatem, ut nisi aperte neges, per hasce tergiversationes secreti revelatio aeqne ac si expresse affirmaveris, manifesta fiat: vel saltem fieri posse, ut qui in his angustiis positus est, nullam aliam rationem in praesentia noverit commissum sibi secretum custodiendi nisi illud aperte negando.

At enim, insistunt alii; etiamsi nulla alia ratio praesto sit ad custodiendum secretum nisi per falsiloquium: tamen cum mendacium intrinsece malum sit, nulla de causa id fieri potest honestum: non sunt autem facienda mala ut eveniant bona.

Verum e contra respondent; hoc loci poni pro certo quod in quaestione est: quaeritur enim, utrum falsiloquium, quod ex necessitate ad occultandam veritatem sub gravissima obligatione nobis custodiendam, indirecte profertur, malum sit nec ne. Malum quidem est mendacium proprie dictum, quod nempe cum intentione directa fallendi profertur, non itidem falsiloquium de quo sermo (1).

(1) Bolgenius qui hanc sententiam ex professo defendit cum in Diss. *Del Possesso* c. 18. §. 2. tum in Diss. *Sopra gli atti umani* P. III. c. 12. in secunda hac dissertatione hoc criterium ponit §. 453. « Il lume » stesso della natura, e la sperienza ancora ci fa conoscere che la vera- » cità in certa combinazione di circostanze può recare gravissimi dan- » ni e agli individui, e a tutta una città, una provincia, una nazione » intera. Pongasi il caso che un sovrano, un primo ministro di un so- » vrano, interrogato destramente da un ambasciatore d'altro sovrano di » un secreto importante non abbia altro mezzo di tener ben celato quel » secreto se non col negarlo francamente, e così mancare alla veracità: » dall'altra parte suppongasi, che risapendosi quel secreto sia cagione » che nasca fra quei due sovrani una guerra atroce con desolazione de'

Ceterum vel ipse Augustinus, qui duobus operibus *De mendacio* et *Contra mendacium* (1) opinatur nullo in casu licitum esse falsiloquium; attamen in conflictu de quo loquimur, magnopere dubitat de sua opinione: ait enim « Saepe » me in rebus humanis vincit sensus humanus, nec resistere » valeo . . . . moveor his oppositis vehementer. » Et tandem concludit ; exceptis mendaciis jurejurando confirmatis « de » ceteris mendaciorum generibus eligat sibi quod putat esse » mitissimum atque innocentissimum mentiendi genus , cui » placet esse mentiendum ».

ARTICULUS III.

De inimicitiae odio

Quae huc usque disserui demonstrant, neminem neque re neque verbis aliisve externis signis laedendum esse, sed jus uniuscujusque servandum esse integrum: itemque in sectione III. ostendam, non solum ad haec justitiae verum etiam ad humanitatis et beneficentiae officia quemque naturali lege omnino obligari. Jamvero omnia haec et singula homini adversus hominem officia opere praestanda esse, ut naturae suae convenienter vivat, omnes philosophi (modo ne sint e sensualistarum grege) passim docuerunt: ea enim ad societatem inter homines firmandam necessaria prorsus sunt.

» popoli, e degli stati: qui si vede un caso, nel quale ripugna al lume » stesso della natura il concepire, che la legge della veracità ordinata » al fine della felicità umana seguiti ad obbligare, quando per le circo- » stanze accidentali si converte iu desolazione e rovina. Allora quella » legge divien contraria al fine inteso da Dio, ed è massima ammessa da » tutti, che cessando il fine della legge cessa la legge stessa di obbli- » gare; molto più poi quando l'osservanza della legge divenga contra- » ria al fine ».

(1) Hi duo libri s. Doctori ipsi adeo displicuerunt, ut in I Retractat. c. ultimo affirmaverit quoad primum *hunc auferre statueram de opusculis meis, quia et obscurus et anfractuosus et omnino molestus mihi videbatur, propter quod eum nec edideram*: de altero autem inquit *multo magis istum non esse decreveram et jusseram, sed non est factum.*

Quaeritur autem utrum lex naturae interna quoque animi sensa et actus ita moderetur et regat, ut quodvis etiam desiderium consilium, appetitionemque etsi inefficacem ac mere internam justitiae aut charitatis legi contrariam itidem vetet: an hominis libertati permittat. Videtur enim quod homines solliciti esse non debeant de actu interno, quo diligantur dummodo nulla revera injuria afficiantur, et omnia benevolentiae signa et opera exterius sibi exhibeantur.

Enim vero si veterem sapientissimorum ethnicorum doctrinam inspiciamus, reperiemus eos in particularibus hominis officiis pertractandis, illis praesertim, quae ad optimam et tranquillam societatis custodiam spectant praeclara multa docuisse, quae, ut ait Baco (L. 7. de Augm. c. 1) minore aut veritatis aut sobrietatis jactura magna ex parte recipere possumus. Ea enim « ad vivum veluti in tabulis eximiis depinxerunt; *vir-» tutum et officiorum figuras, posituras, genera, affinitates, partes, » subjecta, provincias, actiones, dispensationes,* diligentissime sub oculos repraesentantes ». Maximus autem philosophiae moralis ethnicorum defectus ac vitium (ut ab eodem Bacone perspecte animadvertitur) duplici causae adscribi debet, quod et in ultimo ac supremo hominis fine determinando incertas, obscuras et erroneas posuerint sententias, et quod in externa officiorum tractatione occupati de radicibus ipsis officiornm moralium, et radicum illarum fibris indagandis non admodum solliciti fuere. Doctrina enim de aequa internorum affectuum rectione ab illis aut omnino omissa est, aut obscure admodum tractata, aut absurda et falsa de ea protulerunt (1).

(1) Tullius in hac etiam re praestantissimus Socratis aliorumque dotrinam secutus propius ad veram doctrinam insinuandam accessit; attameu generalia tantum dedit, et indeterminata de interno virtutis amore externis actibus conformando: quemadmodum rhetores in optimi oratoris disciplina tradenda, postquam de inventione, de elocutione, de dispositione ceterisque hujns artis praeceptis egerint, monere solent, ut si id quod intendunt consequi facilius velint, scilicet aliis sua dicta insinuare, persuadere eosque movere, studeant ipsi suum animum ita componere, ut persuasi, et rei veritate, et gravitate impulsi videantur. Quam

Quapropter divina Revelatio non solum ob adaequatam, et erroris cujusvis expertem praeceptorum moralium doctrinam, in simplicitate sermonis omnium captui accommodatam, universam ethnicorum sapientiam longe antecedit; sed multo magis quia fontes ipsos rerum moralium aperuit et expurgavit: non solum enim disputationes illas infinitas atque inanes de summo bono sustulit ac missas fecit, apertissime declarando ultimum supremum hominis finem in altera vita obtinendum (ut in I. Trac. disserui. P. I. c. III.); verum etiam quia hoc de quo loquimur praeceptum circa internam animi rectitudinem expresse, ac vehementissime inculcavit. Id enim quoad vetus Testamentum in solemni praesertim Decalogi promulgatione expressum videmus, ubi post varia officiorum genera adversus alios praestanda, duo distincta et absoluta de internis injustitiae actibus extirpandis praecepta sanciuntur (1). In novo autem foedere a capite ad calcem praecellens hoc mutuae ac generalis dilectionis recto corde et animo volenti exhibendae praeceptum, tamquam christiani nominis tessera ubique intimatur (2), nulla facta distinctione Graeci aut Romani, Judaei aut Gentilis, servi aut liberi, boni aut mali, amici aut inimici (Ad colos. III. 2.). Neque solum furari, moechari, occidere aliaque hujusmodi facere in criminibus esse, verum haec eadem corde et animo cupere, moliri, approbare, deque alterius damno gaudere, tamquam furta, adulteria, homicidia ac maleficia ipsa habenda. « Audistis quia dictum est antiquis: non moechaberis. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo » (Matth. V. 27. 28.). « Omnis, qui odit fratrem suum, homi-

falso autem et absurde senserint de inimicitiae affectibus, de ira, ulciscendi libidine et odio adversus malos et hostes, neminem profecto latet.

(1) In aliis quoque V Testamenti locis data occasione doctrina ista traditur. e. g. « Non oderis fratrem in corde tuo, non quaeres ultionem, nec memor eris injuriae ». Lev. 19.

(2) « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem ». Jo. XIII. 35.

cida est » (I. Joan. III. 15.) Quare Minutius Felix ethnicos alloquens ajebat (In Octavio c. 35.) « Vos scelera admissa » punitis: apud nos et cogitare peccare est. Vos conscios ti- » metis, nos etiam conscientiam solam, sine qua esse non » possumus ».

Dubitare fortasse quis posset, utrum dilectio haec interna et generalis, nemine neque improbo, neque inimico excepto, legis naturalis praeceptio sit, an potius novum ac mere positivum divini Legislatoris mandatum (1). Verum si rem penitus consideremus, minime dubitabimus, quin illud ab ipsa natura scriptum in cordibus nostris antea fuerit, et a Christo Domino e tenebris revocatum in lucem, ac nova supernaturalique ratione nobilitatum sit.

Dico itaque legem ipsam naturae non solum omnia injustitiae genera exterius manifestata et opere perfecta; sed internos quoque inimicitiae affectus absolute vetare, ac veluti officiorum omnium socialium scatebram et animam dilectionem mutuam et generalem jubere.

Et re quidem vera, lex naturalis non virtutis speciem et simulationem, sed veram virtutem jubet, scilicet veram animi rectitudinem in exequendis officiis quae Deum, quae nos ipsos, quae ceteros etiam homines respiciunt: et ut de officiis justitiae adversus alios singillatim loquar; per haec jubemur aliorum jura aeque ac nostra ipsa habere, similes enim nobis natura sunt, aequalibus praediti juribus, ad eumdemque finem facti, atque ita nobiscum consociati, ut neque nos, neque ceteri homines in suis proprietatibus ac juribus consistere, et ad praestitutum finem pervenire possint nisi sociali lege ad amussim servata. Ceteros ergo homines aeque ac nos amare debemus, eorum bonum nostrum etiam bonum ducere; eisque ea omnia desiderare velle ac praestare, quae nobis ipsis exoptamus, et ab aliis praestari velimus. Quod idem est ac di-

(1) Joan. XIII. 34. « Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem » sicut dilexi vos » *Novum* scilicet non quoad substantiam, sed quoad modum perfectiorem *sicut dilexi vos* ec.

cere necessarium omnino esse ut externi officiorum actus vera interna animi dilectione informentur. Abstinere autem se ab injuria et alia beneficentiae officia exhibere aut inanis gloriae studio, aut propriae cujusdam utilitatis ergo, aut alio quovis motivo, nullo autem justitiae et fraternae dilectionis amore, quandoque etiam livore et inimicitiae odio tabescentem, non id certe in virtutibus est habendum, sed potius hypocrisis, fraudis et proditionis nomen meretur.

Non solum autem ad veram honestatis, justitiaeque rationem necesse est, ut externa haec officia internis animi sensibus non repugnent, quin imo iis apprime colliment; verum etiam ut haec ipsa officia praestari revera possint. Etenim si lex naturae vult hos effectus, ut scilicet humanae societatis pax, justitia et amicitia servetur, consequenter vult etiam causam; si vetat injurias, vetat etiam inimicitiae odium ac laedendi libidinem, ex qua tamquam e radice pessimi hujuscemodi fructus producuntur. «De corde enim exeunt cogi- » tationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae. (Matth. XV. 19).

Major quidem difficultas occurrit, si sermo sit de improbis hominibus, et inimicis: honestos enim ac beneficos adamare, superbos autem, maleficos, crudeles, ingratos aspernari et odisse rectum ac naturale censetur; et nonnisi supernaturali virtute ac motivo diligi posse videntur. Attamen si res bene examinetur, aperte apparebit cum ex intrinseca ratione, tum etiam ex ipsis sapientiorum Gentilium principiis concludi oportere, praeceptum hoc de generali ac mutua dilectione, ne inimicis quidem et perversis hominibus exceptis, in naturae lege essentialiter contineri. Ne autem hac in re perdifficili quidem a veritate aberremus, accurate distinguendum est odium *inimicitiae* ab odio *abominationis*: id enim odium inimicitiae esse definiunt moralistae *quo ipsam hominis personam in se et directe aversamur, eique malum, quatenus illi malum est, exoptamus*: odium vero abominationis esse ajunt *odium qualitatis, quo scilicet non ho-*

minem, sed ejus malitiam, vel saltem personam (quatenus malam et nobis noxiam) aversamur. Iam vero certum est, abominationis odium neque a lege naturali, neque ab Evangelio proscribi. Essentialis enim ac naturalis omnino est creaturae sentienti et intelligenti cum appetitio seu amor objecti cujuslibet, quod veluti bonum nobis et conveniens reprehesentatur, tum aversatio objecti mali ac noxii. Itemque dicatur de ceteris hujusce odii modificationibus. Istae affectiones, in se ipsis consideratae, malae non sunt, imo sunt leges conservationis et reparationis humanae naturae pernecessariae: per eas namque fit ut noxia fugiamus, et quae profutura sint, nobis studiose comparemus. Cum autem non modo res inanimes ac bruta animantia, verum multo magis homines et prodesse et obesse plurimum possint; hinc et in illa, et in hominem necessario nascitur vel amor vel odium: hominem ergo flagitiosum ac nobis, aliisque noxium, abominationis odio prosequi, eique irasci, indignari, et aequam punitionem illi desiderare, ut inferius singillatim disseremus, legi naturali contrarium per se non est. Quod idem est ac si dicas, qui virtutem diligit, eum necesse esse oppositum vitium odisse. In odio enim abominationis continetur essentialiter ordo amoris, siquidem perspectam alterius malitiam et injurias ac noxios effectus vel in nos ipsos, vel in alios inde derivatos aversamur, et opportuna remedia ad haec omnia mala tollenda exoptamus.

Non ita profecto censendum de inimicitiae odio; hoc enim in quemvis etiam flagitiosissimum concipere ac fovere aequitati naturali, et societatis ordini e diametro adversatur. Etenim officia omnia socialia sive justitiae, sive humanitatis ac beneficentiae (de quibus infra disseremus) amico animo ideo invicem praestanda esse lex naturalis jubet; quia inspecto rerum ordine, ex ipsa hominis natura, relationibus, ac praestituto fine necessario derivantur. Jam vero cujuscumque regionis, et status homo sit, aut quocumque

animi vitio ac malitia laboret, hominis naturam non amittit, et quoad vivit jus ad propriam felicitatem assequendam habet. Nulla igitur de causa ab hujusmodi officiis homini cuivis praestandis seu a mutua dilectione solvimur. Quare Tullius redarguens eos, qui generalem hanc naturae legem intra civitatis aut nationis suae limites coarctare volebant, omnes inquit una continemur eadem lege naturae, etenim « hoc natura praescribit ut homo homini, quicun- » que sit (*idest sive romanus, sive barbarus, sive bonus sive* » *malus, amicus, vel hostis*) ob eam ipsam causam, quod is » homo sit, consultum velit (De of. l. 3. c. 6.) ». Simili Epictetus criterio usus est. « Omnia inquiens officia mutuis rela- » tionibus sunt metienda. Pater est? Praecipitur, curam ejus » agendam, cedendum ei in omnibus: si convicietur, si » verberet, ferendum esse. At pater malus est. Numquid » natura cum bono patre conjunctus es? Non, sed cum pa- » tre. Tu ergo munus tuum erga eum tuere, nec quid ille » agat considera, sed quibus rebus agendis tuum institu- » tum naturae futurum sit consentaneum (In Enchiridio » c. 37.) ». Quod positum ab Epicteto in una re transferri, data proportione, in ceteros quoque homines debet. Homo est? Praecipitur jus suum ei tribuendum, pro virili in necessitatibus juvandum, uno verbo ceteros sicut seipsum amandos. At homo malus est. Numquid natura cum bono homine coniunctus es? non, sed cum homine. Tu ergo munus tuum erga eum tuere, nec quid ille agat considera, sed quibus rebus agendis tuum institutum naturae futurum sit consentaneum.

Praeterea si ad praesentem humanae naturae conditionem attendamus, in qua *nemo sine vitiis nascitur, atque optimus ille est qui minimis urgetur;* malus autem sua vitia virtutibus emendare potest; bonus in viam malam declinare; sequeretur nulla omnino officia ad invicem colenda esse, si ea inter bonos tantummodo servari deberent. Generalis ergo dilectio hominis ad hominem naturae lege omnino praecipitur;

odio autem inimicitiae et hominis naturae, et universae societati nihil magis potest esse contrarium.

Quae cum ita sint, quid jam dicendum est de impudentissima illa nonnullorum sententia (qui tamen christiano nomine gloriantur (1)) dicentium, quemque de alterius vita jure tristari posse, et de ejus morte gaudere; quin imo, heu nefas! absoluto desiderio sui ipsius parentis mortem cupere, aut gaudere de parricidio a se in ebrietate perpetrato, ob aliquod emolumentum, ob pingues divitias inde ex haereditate consecutas. Haec non modo Evangelio et sanioribus philosophiae principiis ab ipsis ethnicis positis, verum etiam recto cujusvis hominis sensui omnino repugnant. Nec quidquam valet sophistica illa, quam adducunt, causa, quod nempe hoc in casu intentio principalis et directa feratur in bonum proprium, nec desideretur alterius malum, nisi sub ratione boni. Id enim in egoismi systemate locum habere posset, nunquam vero in hominum societate, qui affectus si forte innotescerent, fidem et amicitiam illico rescinderent. Proprium quidem temporale bonum cuique exoptare et quaerere aequum est, at sine alterius detrimento: et si aliquando liceat (quod capite sequenti accurate expendemus) alicuius damnum permittere atque etiam inferre, id nonnisi gravissima de causa, ac necessitate cogente, praeter autem voluntatem, nobisque invitis, licere potest. In abnormi autem istorum sententia universae justitiae, societatis, et pietatis ordo turpissime pervertitur.

» Quaeritur (dicam cum Genuen. l. 1. de off. c. 10) an

(1) Tres sequentes propositiones ab Innocentio XI. damnatae sunt. P. XIII. « Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam » efficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum » XIV. « Licitum est » absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis » haereditas ». Pr. XV. « Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas ».

» cogitationibus alteri injuria inferri possit? Lex civilis non » punit cogitationes; punit tamen naturalis et evangelica. » Igitur si hujusmodi injuriis judiciis nulla subsit materia, » sed mere commentitia sunt, et purae suspiciones, cum alio» rum jure pugnant, atque iniqua sunt. Verum ea judicia, » qnae ex turpibus et iniquis aliorum factis nascuntur, nec » in potestate sunt nostra, nec contra aliorum jus, qui fla» gitiosis factis ipsi sibi famam adimunt ».

CAPUT II.

DE JURIUM PERFECTORUM DEFENSIONE.

Omnia hominis jura bifariam distingui solent, alia *imperfecta* dicuntur, quibus respondent officia charitatis ac benevolentiae; alia *perfecta*, quae relativa sunt officiis justitiae. Jura *imperfecta* non consistunt in proprietate quadam aut facultate agendi, sed in ratione, quam cuique natura tribuit, opem ab aliis in nostris necessitatibus et indigentiis postulandi, et obtinendi: imperfecta autem ideo dicuntur, tum quia obligatio illis relativa conditionata est, si possit nempe aliena indigentia sine suo gravi incommodo relevari, relevandam esse: itaque quamquam homo in necessitate et indigentia constitutus jus habeat ad auxilium implorandum, attamen aliorum obligatio, deficientibus conditionibus, nulla prorsus est: imperfecta itidem appellantur, quia etiamsi alter prae tenacitate, aut ignavia, aut animo immisericordi, cum possit sine sno gravi incommodo opem ferre indigenti, renuat, non licet tamen eum vi cogere ad haec beneficentiae officia praestanda. De his autem juribus imperfectis, et de respondentibus officiis sect. III. dedita opera disseram.

Alterum jurium, quae perfecta appellantur, genus constituunt omnes *personales* et legitime *derivatae* proprietates, cum libera et expedita facultate eas habendi iisque utendi fruendique arbitrio proprio. Cum autem has proprietates et

facultates natura tribuat homini, easque velit revera sartas tectasque; consequens est ut eadem naturae lex non solum *absolute* prohibeat, ne quis unquam ulla in parte, et sub quovis praetextu aliena jura laedat, ut superius demonstratum est, verum singulis hominibus una cum illis juribus facultatem etiam tribuat se suaque tuendi servandique contra injurias, quas sibi inferre aliquis attentaret, vel recuperandi quae sibi invito ablata, aut corrupta alterius injuria fuerint. Porro hoc *defensionis* et *vindicationis jus*, ut dicitur, cum sit medium, quo uniuscujusque proprietates salvae consistere possint, tantum extendi debet, quantum opportunitas ac necessitas postulat; adeo ut si nec ratione nec aliis mitioribus modis illae servari possint, etiam vi injuriam liceat propulsare. Cum autem ratio sit hominis propria: vis autem ceteris quoque animantibus communis; recurrendum est ad posterius medium, si uti non licet superiori.

Ceterum in civili societate, ubi ex natura supremi regiminis, et ut rectius et efficacius injuriae removeantur et comprimantur, jus coactivum Principi reservatum est, nihil aliud subditis per se in consueto rerum cursu licere potest (si forte discrimen aliquod sibi imminere ex aliorum fraude aut violentia noverint, aut injuria jam illata sit) nisi publicam ac supremam auctoritatem adire, ejusque opem implorare. Haec quidem omnia in quovis non absurdo philosophiae systemate rata et perspecta sunt.

At quaestio inter philosophos, jurisperitos, ac theologos magna animorum contentione agitata est, utrum aliquando vitae rerumque nostrarum discrimen etiam in civili statu jus nobis praebeat violentae atque etiam cruentae defensionis contra aggressores: scilicet utrum defensio jure a nobis fieri possit cum damno, mutilatione, occisione eorum, qui nos nostraque inique laedere conentur, et quibus in circumstantiis, et qua ratione liceat, aut contra.

Fuerunt quidam, qui sine ullo inculpatae tutelae moderamine, jus seu potius licentiam occisivae defensionis im-

pudentissime adstruere conati sunt, quos inferius refutabo. Quaestio autem inter saniores philosophos in hoc versatur, utrum nempe vitae rerumque nostrarum invasor, si nulla alia periculum evadendi ratio praesto sit, jure possit interfici. Primum autem de vitae, tum de reliquorum jurium defensione disseram.

ARTICULUS I.

De vitae defensione

Triplex quoad vitae defensionem philosophorum sententia est. Nonnulli contendunt, si absque iniqui aggressoris nece vita servari nequeat, legem naturae jubere occisivam defensionem, adeo ut qui eam negligat, et invasoris armis succumbat tamquam suicida sit habendus. Ita Buddaeus, Samuel Coccejus, et Burlemachius sensere. Lacedemones etiam eos, qui se se ignaviter defenderent, magistratuum animadversioni subjecerunt. Alii contra affirmarunt, nulla unquam de causa ne ad vitam quidem tuendam licere injustum aggressorem perimere, idque homicidii crimen esse. Denique maxima philosophorum pars unanimi consensione tenet, iniquum invasorem jure interfici posse vitae servandae causa. Quorum sententiae inhaerens thesim hanc defendendam propono.

Injustum ac violentum vitae aggressorem occisiva defensione propulsare licet, cum moderamine tamen inculpatae tutelae.

Ut probe intelligatur valor hujus propositionis (qua, ut perspicuum est, secunda sententia *directe* impugnatur, quamquam et levissima illa prima nonnullorum opinio uno tempore *oblique* refellatur (1)) declarandum in primis est quid *modera-*

(1) prima, inquam, quoque sententia, quae suae vitae defensionem obligatoriam facit, hac nostra thesi indirecte refellitur. Cum enim vitae nostrae defensionem *licere* affirmemus, non obligationem, sed *jus* tantummodo hujusce defensionis nobis esse, demonstrabimus. Ex iis autem, quae parte II. dicta sunt, aperte patet, philosophos istos veram suicidii rationem ignorare: aliud est enim praeceptum *affirmativum* de suae vitae

minis nomine veniat. Adeo ut defensio censeri possit cum moderamine inculpatae tutelae facta, necesse est, ut invasor I. sit *injustus*; II. damnum ab eo intentatum *evidens* et *grave*; III, quod nullo alio medio nisi vi removeri possit. Tres ergo conditiones attendendae sunt, scilicet *causa*, *modus*, ac *tempus* cum aggressionis, tum defensionis. Causa aggressionis debet esse *injusta*, idest sine jure, licet sine invadentis malitia et crimine sit intentata: causa autem defensionis est solummodo jus perfectum gravis momenti, quod hic et nunc in nostra potestate seu *possessione* sit, utpote vitae nostrae custodia, de qua primum disserimus. Modus aggressionis violentus sit oportet, scilicet non fraude, circumventione, et calumnia, sed vi illatae: e contra vero modus eam repellendi mitissimus esse debet, nonnisi autem ex necessitate vis locum habere potest, et quantum satis est ad injuriam propulsandam, adeo ut si minis, clamoribus, aut baculo deterreri invasor possit, iniquus eris si gladio perfodias. Denique violentae defensionis tempus tamdiu perdurat, quamdiu aggressio et grave periculum est *imminens*: nunquam vero in civili societate, qua vivimus, jus violentae defensionis nobis est ob aggressionem quae in posterum praevideatur (1).

cura, aliud *negativum* de non inferenda sibi morte; aliud est *directe* et ex *proposito*, aliud *indirecte* et praeter intentionem agere; aliud est sibi mortem inferre: aliud permittere sui occisionem ab altero patrandam. Jam vero omittere suae vitae defensionem, vel quoquo modo sui ipsius occisionem permittere non in odium vitae, sed ad alium honestum, eumque gravissimum finem consequendum, non solum suicidii crimine omnino vacat, verum etiam absoluta aliquando obligatio est, plerumque autem est heroicae virtutis actus, quo dari nequit major: utpote si quis, ne iniquus aggressor maximo cum aeternae vitae discrimine in suo facinore occumbat, suam malit vitam invadentis crudelitati relinquere, quam eum confodere.

(1) Haec omnia non speculativo sed practico criterio ita usui accommodanda sunt, ut si qui inique impetitur aperte noverit se suaque sine invadentis occisione, sed alia mitiori ratione *certo* servare posse, non liceat eum occidere: liceat tamen, si nulla alia sit, vel saltem non plane certa evadendi via appareat ei, qui in angustias adactus est; etiamsi re maturius in se considerata, postea cognoscatur, ad suae vitae tutelam, occisionem aggressoris necessariam non fuisse.

Quibus omnibus ad quaestionis statum declarandum praemissis, dico, propositam thesim duplici argumentorum genere evidenter demonstrari, ex jure inquam naturali seu intrinsecis rationibus, et ex positivo jure, scilicet divino, ecclesiastico, et civili. Alterum hoc ex legum positivarum auctoritate petitum argumenti genus in praesenti quaestione maximi faciendum est: nam et evidentius confirmat quod ratio et jus naturale demonstrat; et si forte alicui rationis momenta non satis firma et aperta videantur ad thesis veritatem demonstrandam; suprema tamen tam divina, quam humana Principum auctoritas (quorum certe proprium est morte etiam plectendi iniquos societatis perturbatores) innocentibus inique oppressis violentae defensionis jus expresse communicaret, quemadmodum Princeps suis militibus aliisque ministris ad hostes et latrones persequendos et interimendos arma tribuit. Itaque utrumque argumenti genus etiam seorsim consideratum ad thesis propositae veritatem demonstrandam validissimum est. A primo igitur exordiamur.

Triplici rationis argumento propositae thesis veritas evidenter demonstratur; primo quia violenta vitae defensio cum moderamine inculpatae tutelae nullam legem, nulliusque jura violat, id autem licere censendum est, quod nulli adversatur legis obligationi: secundo quia hujusmodi defensionis jus non modo legi nulli adversatur, quinimmo aequitati naturali conforme et ab ipsa lege generali societatis sancitum est. Quapropter tertio loco apparebit jus hoc tamquam primitivam atque, ut ita dicam, instinctivam naturae vocem, omnibus data occasione certo manifestari.

Itaque in primis certum est, homicidium, illum nempe actum, quo vel ulciscendi vel iniuste aliquid auferendi aut consequendi libidine, sine ulla suae tutelae necessitate aliquis interficiatur, horribile esse facinus: quia gravissimam illam naturae legem *non occides* homicida directe violans uno eodemque actu supremum vitae et mortis dominium unius Dei proprium usurpat; justitiae et charitatis legem adversus

singulos homines latam maximopere conculcat; in universam denique societatem et in regiminis civilis jura perduellionis crimine reus constituitur. Occisio autem de qua loquimur diversae prorsus naturae est: qui enim occisiva defensione se tuetur gravissima de causa, ad suam nempe caedem arcendam necessitate coactus, cum nulla alia detur evadendi ratio, invitus ac praeter intentionem hosti in sui perniciem voluntariam irruenti arma tamquam propugnaculum objicit; qui si vitae discrimen coeco furore subire in eoque perseverare velit, ipsi imputanda est suae vitae perditio, non illi qui interficit. Etenim ut sapientissime disserit D. Thomas (Q.64. a. 7. in Corp.) « Nihil prohibet unius actus esse duos effectus, » quorum alter solum sit in intentione; alius vero sit praeter » intentionem. Morales autem actus recipiunt speciem secun- » dum id quod intenditur; non autem ab eo quod est praeter » intentionem. Ex actu ergo alicujus se defendentis duplex ef- » fectus sequi potest; unus quidem conservatio propriae vi- » tae; alius autem occisio invadentis. Actus ergo hujusmodi ex » hoc quod intenditur conservatio propriae vitae non habet » rationem illiciti, cum hoc sit cuilibet naturale, quod se con- » servet quantum potest. Potest tamen aliquis actus ex bona » intentione proveniens illicitus reddi, si non sit proportiona- » tus fini, et ideo si aliquis ad defendendam propriam vitam » utatur majori violentia, quam oportet, erit illicitum. Si » vero moderate violentiam repellat, erit licita defensio, nam » secundum jura vim vi repellere licet cum moderamine » inculpatae tutelae. Nec est necessarium ad salutem, ut » homo actum moderatae tutelae praetermittat ad vitandam » occisionem alterius: quia plus tenetur homo vitae suae » providere, quam vitae alienae ».

Non igitur supremo Dei in hominum vitam dominio occisiva haec defensio ullimode opponitur. Sed ne publicum quidem societatis bonum perturbat, quasi regiminis civilis jura violentur. Etenim homo e statu naturali in civilem transiens suam naturam, et jura sua perfecta non amittit, sed

sub legum et publicae potestatis tutela ponit. Quamquam ergo jus coactivum in iis omnibus circumstantiis, in quibus publica auctoritas civium jura tueri valet, Principis potestati reservatum sit; attamen cum iniqua et violenta aggressio talis est, ut qui eam patitur, nullam publici auxilii spem et copiam habere possit, ac vitae discrimen imminens sit et irreparabile nisi vis vi repellatur, tunc naturale privatae defensionis jus reviviscit. « Silent enim leges inter arma nec » se expectari jubent, cum ei qui expectare velit, ante in» justa poena luenda sit, quam justa repetenda ». Deterrima autem esset bonorum civium conditio, si eorum vita nulla neque publica neque privata tutela defendi posset, et *omnibus qui in latrones inciderent, aut illorum telis aut judicum sententiis esset pereundum*. Civile tunc regimen iniquis aggressoribus cautioni et praesidio foret; quod contra hominis naturam, contra societatis finem, contra naturalem aequitatem esse, nemo non videt.

Tandem neque jura privatorum moderata hac defensione laeduntur. Quia neque justitiae legem, neque legem charitatis ea violat. Non justitiam, tum quia vita innocentis potioris vel saltem aequalis momenti est, ac vita aggressoris, *plus enim tenetur homo vitae suae providere, quam vitae alienae*; tum multo magis quia ille actus dicitur *justus* qui juri apprime cohaeret, eique *proportionatus* est (ut rectissime ait D. Tomas laudatus); cum autem defensio occisiva necessaria est ad vitae nostrae tutelam, tunc ea nullimode limites excedit, sed juri vitae conservandae proportionata est; ideoque justa.

Maxima quidem quae in nostram thesim fieri possit difficultas ea est, quae ex charitatis lege desumitur, quae primo aspectu decretoria videtur, et nonnullos summi ingenii viros in contrariam sententiam adduxit. Etenim ajunt moraliter certum est iniquum invasorem in facinore occisum in aeternam miseriam prolapsurum. Qui ergo eum interficit, is bonorum ordinem subvertit, et legem charitatis violat, quia ne suum temporale bonum amittat, in aeternam perditionem

invasorem non solum prolabi sinit, sed actu suo positive impellit.

Quibus respondeo: certum quidem est, omnia mundi hujus bona posthabenda esse spirituali et aeternae sive nostrae sive aliorum saluti: verum non inconsulto id fieri debet, sed rationis ordine servato. Jam vero rationis regula haec est, omnium sapientium consensione recepta, ut « teneatur quisque proximo *in extrema necessitate spirituali* (non » autem in voluntario discrimine) constituto succurrere etiam » cum certo vitae periculo: dummodo sit aeque *certa spes* » *illum juvandi*, neque *gravius inde malum immineat.* » Si una tantum ex hisce tribus conditionibus desit, lex charitatis non jubet cum gravissimo suo damno alienae spiritualis salutis curam suscipere. Atqui in nostro casu omnes omnino desunt. Iniquus enim invasor in extrema necessitate constitutus non est, cum ipse libere in suae perditionis discrimen ruat, a quo potest seipsum eripere desistendo ab aggressione. Neque certa omnino est perditio ejus aeterna; neque certa habetur spes juvandi ejusdem spiritualem vitam si caedem facinoroso homini permittamus. Est autem principium certum, *utenti jure suo aliorum malitiam obesse non posse nec debere.* Secus enim ne Principi quidem liceret bellum cum infidelibus, aut patriae rebellibus gerere, neque latrones et sicarios qui privatorum vitae insidiantur ad necem is persequi posset, neque unquam capitali supplicio punire impoenitentem reum. Fingamus autem neque privatis hominibus, eademque de causa neque supremae civili potestati licere defensionem de qua disputamus, sequeretur universae reipublicae perturbatio, bonorum pernicies, pessimorum impunitas, gravissimumque et universale malum ne dum immineret, sed certo eveniret. Quare concludendum est non solum naturae lege licere iniquum vitae invasorem cum moderamine inculpatae tutelae perimere, quia neque Dei, neque principis jura laedit, neque officiis justitiae aut charitatis opponitur; sed aliud etiam perillustre argumentum inde

deduci, scilicet jus hoc occisivae defensionis generali justitiae et societatis lege necessario includi et sanciri.

Et re quidem vera: generali justitiae et societatis lege sancitum est, ut quisque suam vitam ceteraque quae ad eam pertinent integra sibi habeat; fraudes autem et iniquae violentiae arceantur, et societas tranquille consistat: uno verbo publicam privatamque hominum felicitatem lex naturae intendit et vult; idque revera et efficaci decreto sancit, scilicet ad hunc finem, qua meliori fieri possit ratione, obtinendum omnia media necessaria tribuit; ideoque si iniqui privatorum jurium violatores et societatis perturbatores nullo alio rationali medio in officio contineri possint, etiam vi quantum ad finem illum necesse est, comprimi jure possint. Atqui in subita ac violenta latronis et iniqui cujusvis aggressione, vis occisiva cum moderamine inculpatae tutelae necessaria omnino est ut innocentium vita servetur, et facinus aggressorum revera comprimatur, ac societas tranquille se habeat: ergo vis occisiva his limitibus circumscripta non solum conformis ac necessaria est incolumitati privatorum, verum etiam publico societatis bono et tranquillitati. Secus enim deesset medium necessarium quo arceantur et comprimantur crimina, et vita ceteraque bonorum jura tamquam certa et parata praeda iniquorum ac impotentium libidini paterent.

Adeo autem certum est naturalem legem velle omnino jus coactivum quantum satis est ad privatorum universaeque societatis tutelam, ut quo rectius et efficacius jura singulorum sarta tectaque sint et iniqui vi coerceantur, ac repellantur, lex ipsa naturae Principis potestati concesserit jus gladii. Quacunque enim ratione placeat investigare originem supremae civilis auctoritatis (sive a positiva Dei institutione, sive a libera hominum conventione et sociali pacto, sive ab ipsa civilis societatis natura derivetur), semper confitendum est, *omnem potestatem esse a Deo, in aedificationem et non in destructionem.* Omnium ergo Principis jurium norma in eo

effato continetur *salus populi suprema lex esto*: ea inquam omnia facta, dicta, consilia, facultates, quae fini huic cohaerent, in Principis juribus sunt habenda, quae ab eo declinant extra jus sunt. Atqui omnibus fatentibus vel ipsis adversariis nostris, vi occisiva in latrones, et in quosque subditorum et civitatis perturbatores qui aliter coerceri nequeant, jure utitur Princeps ejusque ministri: ergo vis ad injuriam propellendam etiam cum invadentis occisione, si necesse sit, tam privatae, quam publicae societatis incolumitati conformis et necessaria est: ergo in ipsa justitiae et societatis lege jus hoc inclusum et sancitum est: cujus *usus* in consueta reipublicae administratione Principi reservatus est, ut ipse rectius et efficacius, quam per se possent singuli homines, publicam et praevalentem vim exerceat.

Praeterea id ipsum apprime confirmatur ex jure bellico: quelibet enim *perfecta societas*, seu populus, aut respublica supremo regimini parens, est veluti corpus morale, pluribus membris constans sub regimine supremi capitis, idest unaquaeque civitas aut natio, est persona moralis ab una et suprema mente, voluntate, ac vi informata et directa. Quapropter singulae respublicae, et nationes inter se in aequalitate naturali constitutae sunt, et ea ipsa justitiae, beneficientiae et honestatis lege, qua singuli homines natura inter se consociati sunt, singulae quoque nationes, et populi obligantur: neque Princeps adversus alium Principem, aut civitas adversus aliam civitatem potiora vel minora jura et obligationes habere unquam potest, quam ea ipsa jura et obligationes quas singulis hominibus inter se natura tribuit, et imponit. Atqui omnes uno ore fatentur philosophi, cuique supremo Principi, et reipublicae integrum esse jus belli, quo adversus hostes armis se tueri possint, eosque si populi salus id postulet ad internecionem usque persequi. Nulla enim forent naturalia jura, si ea ab iniquis violari impune possent; et naturae lex oppressoribus licentiam effraenem concederet, innocentes omni praesidio destitutos relinqueret. Generali ergo justitiae et societatis lege tam hominibus in

civili statu copulatis personam moralem efformantibus, quam singulis seorsim consideratis jus coactivum aggressorem propulsandi cum moderamine inculpatae tutelae necessario tributum est (1).

Atque haec adeo praeclara sunt, ut, data occasione, quasi instinctu et voce naturae jus hoc defensionis cuique certo innotescant. Est enim *haec non scripta* sed *nata lex* (inquiebat Tullius pro Milone), ad quam non docti sed » facti, non instituti sed imbuti sumus, ut si vita nostra » in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum, » aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset ex» pediendae salutis . . . Hoc et ratio doctis, et necessitas » barbaris, et mos gentibus, et feris natura ipsa praescri» psit, ut omnem semper vim, quacumque ope possent a » corpore, a capite, a vita sua propulsarent. »

Aliud superest argumentorum genus ex legum positivarum auctoritate petitum: quae enim hucusque ratione demonstravi, ea leges istae omnes apprime confirmant. Paucis autem me expediam; res enim perspicua est. Et sane Cap. *Significasti* 18 *de homicidio* expresse declaratur « vim vi re-

(1) At enim dicent fortasse Buddaeus, aliique quos superius recensui; si suae vitae defensio cum moderamine inculpatae tutelae est medium necessarium ad finem legis socialis obtinendum, concludendum est, eam non tantum licere, sed naturae lege omnino praescriptam esse. Verum haec difficultas illico evanescit, si distinguatur jus defensionis a juris ipsius usu. Necesse quidem est ex demonstratis ut et supremi Principes, et singuli quoque homines in articulo necessitatis jus coactivum defensionis habeant; non inde tamen sequitur, omnes et singulos semper eo jure uti debere; ita etiam in civili societate unicuique jus esse oportet adeundi Magistratum ad sua jura a debitoribus recuperanda; verum si quis suo jure uti nolit, sed sua malit debitori relinquere, quam vi eum cogere, nihil certe detrimenti inde capiet Respublica, sed potius ejus liberalitas commendabitur. Contingere tamen aliquando potest, ut violenta suae vitae defensio per accidens praescripta sit, nec sine culpa praetermitti possit; utpote si quis inique impetum faciat in militem in sua statione excubantem, aut in Imperatorem, aut in alium quemque cui aliorum tutela credita sit: tunc enim publicae salutis causa, et muneris sui ratio postulat, ut vis vi repellatur: eique dicendum esset cum Seneca *vitam tibi ipsi si negas, multis negas*.

» pellere omnes leges, et omnia jura permittunt . . . Tamen » id fieri debet cum moderamine inculpatae tutelae, et non » ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam ». Idem habetur Cap. *Si vero* 3 *de sent. ercomunic.* « Cum vim » vi repellere omnes leges, et omnia jura permittant ». Canonicis concordant civiles leges ut videre est Glossa in supra allatas decretales, nec non Cap. *Si perfodiens* 3. de homicidio.

Quid ergo evidentius ad rem nostram desiderari potest? Si enim omnes leges et omnia jura, scilicet Lex naturalis ut superius demonstratum est, lex positiva divina ut infra videbimus, leges tandem canonicae, ac civiles iniquum vitae invasorem cum moderamine inculpatae tutelae jure interfici posse declarant, quis hoc licere ultra negabit? Scio equidem quosdam, jansenianos praesertim, harum legum verba sophistice interpretatos fuisse, ajentes per eas leges non declarari immunem esse a peccato hominem qui sui defendendi causa alium interficit, sed tantum immunem a poenis judicialibus contra homicidium latis, easque in foro tantum externo valere: sed falsa omnino est hujusmodi interpretatio. Primo: quia cum sine ulla exceptione dicatur, omnes *leges* et omnia jura id permittere, necessario includitur etiam lex naturalis, quae non externam judiciorum civilium formam, externumque forum spectat, sed intrinsecam actuum humanorum honestatem aut malitiam discernit et determinat. Secundo: quia Jus canonicum de foro conscientiae loquitur, tum quia si quidquam illiciti legibus civilibus aliquando permissum est, eas emendavit, tum etiam quia in laudato c. 3. *de homicidio* expresse agit de occisione coram Deo inculpata: recitato enim Exodi textu, concludit - *non occiditur fur diurnus sine culpa; nocturnus autem sic etc.* Tertio denique: quia mera *tollerantia* in iis tantum actibus locum habet, qui sunt intrinsece mali, neque ulla supremae potestatis concessione cohonestari possint. Secus enim Principis multoque magis Dei venia et permissio aliquid faciendi, est legitimum

supremae potestatis auctoramentum jurisque communicatio. Jamvero non solum Deus, sed vel ipse Princeps civitatis, etiamsi jure naturae singulis hominibus non liceret iniquum vitae invasorem moderata defensione vi propulsare et interficere, posset tamen singulis subditis arma permittere ad suos invasores propulsandos, quemadmodum suis militibus, ac ministris concedit, et aliquando cuique indiscriminatim facultatem tribuit, praemio etiam proposito, latrones vel ad necem persequendi et in patriae hostes propugnandi. Ex quibus omnibus jure concludere possumus (Catechismus Rom. De quinto praecepto. n. 8.) « Si quis salutis suae defen- » dendae causa, omni adhibita cautione, alterum intere- » mit, hac lege (*non occides*) non teneri *satis apparet* » (1).

(1) Quatuor vel quinque Ecclesiae Patres ac praesertim Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, et Bernardus commemorantur tamquam apertissimi sententiae a nobis demonstratae oppugnatores. Quod si verum foret, tamen debita cum reverentia ab eorum opinione recedere deberemus. Id autem non admodum certum est; imo, ut theologi doctissimi ostendunt, aliter eorum dicta explicari posse videntur. Cum autem s. Augustinus magna confidentia a philosophis passim afferri soleat, tamquam explorata et certa ejus hac de re sententia sit; hinc nonnulla dicenda censeo. En igitur s. Doctoris verba, quae decretoria habentur. Consultus a Publicola viro illustri respondet (ep 27. alias 154). « De » occidendis hominibus, ne ab aliis quisquam occidatur, *non mihi pla-* » *cet consilium*, nisi forte sit miles, aut publica sanctione teneatur etc. » At aliud est asserere, aliud opinanter loqui: aliud est dicere *non mihi placet*, allud est dicere, *id peccatum esse*: aliud est *consilium*, aliud *praeceptum*. Ne mihi quidem placet consilium de suscipiendo munere carnificis; non inde tamen sequitur, me censere, eum in exequenda capitis sententia peccare. Ceterum Augustinus ipse ad Macedonium scribens aperte demonstrat, eum qui evadendi necessitate iniquum aggressorem interficit nullo crimine se polluere. Ait enim: « Cum homo ab ho- » mine occiditur, multum distat, utrum fiat *nocendi cupiditate, vel in-* » *juste aliquid auferendi*, sicut fit ab inimico, sicut a latrone: an ulci- » scendi vel obediendi ordine, sicut a judice, sicut a carnifice; an *eva-* » *dendi vel subveniendi necessitate*, sicut interimitur latro a viatore, ho- » stis a milite. Et aliquando qui causa mortis fuit potius in culpa est, » quam ille qui occidit ». Igitur juxta Augustini sententiam, qui ex necessitate defensione occisiva se tuetur in eodem ordine est ac judex, carnifex, miles, qui certe homicidii crimine in suo munere fungendo non tenentur.

ARTICULUS II.

De legitima aliorum jurium defensione.

Quaeritur modo utrum liceat occisiva defensione uti ad reliqua etiam jura perfecta tuenda? In hac disquisitione duae sententiae maximopere inter se diversae distingui accurate debent: aliam enim viri summo ingenio, doctrina, et probitate retinent: alia nonnisi a mediocribus quibusdam, qui moralitatis nervos omnes relaxare student, proposita et defensa est. Isti licentiam immodicam cuique concedunt, ut sub quovis injuriae a se removendae praetextu, armis se suaque defendere possit. Quaestio autem philosopho digna haec alia tantummodo est, utrum nempe, servatis omnibus conditionibus in moderamine inculpatae tutelae praescriptis, liceat vim vi repellere non solum pro tuenda vita, verum etiam pro defensione jurium perfectorum *gravissimi momenti*, quae in nostra *possessione* actu sunt, quaeque iniquus aggressor perdere nititur. Rem praeclaram certe faceret, qui omnia perpeti mallet, quam iniquum aggressorem morte compescere. At quaeritur an homicidii crimine reus censendus sit, qui ne e. g. a praedonibus durissimae servituti perpetuo mancipetur, aut ne domus sua magna ex parte expilari aut incendio deleri sinat, aut ad arcendam injuriam in castitatem aggressorem occidit?

« Pro pudicitia (Grotius De Jur. Belli etc. l. 2. c. 1. » §. 7.) quin idem liceat (idest aggressorem moderata de» fensione occidere) controversiam vix habet, cum non tan» tum communis aestimatio, sed et lex divina pudicitiam » vitae adaequet. Itaque Paulus Jurisconsultus dixit pudo» rem tali facinore recte defendi (1). Exemplum habemus in

(1) Sent. l. 5. Tit. 23. §. 3. « Qui latronem caedem sibi inferentem, » vel alium quemlibet stuprum inferentem occiderit, puniri non pla» cuit: alius enim vitam, alius pudorem publico facinore defendit ».

» Tribuno Marii a milite occiso apud Ciceronem (1) et Quin-
» tilianum: sed et a feminis occisorum in historiis extant (2).
» Chariclea apud Heliodorum talem interfectionem vocat
» *αμυνης νομον της εις σωφροσυνην ὕβρεως justam defensionem*
» *ad arcendam injuriam in castitatem* »: Ut brevius dicam: quae ad aequam suae vitae defensionem demonstrandam argumenta adducuntur, eadem aptari itidem possunt defensioni pudicitiae. Atque in hoc fere omnes philosophi ac theologi consentiunt.

Quamquam autem maxima eorum pars, qui vitam et pudicitiam vi occisiva recte defendi posse docent, idem sentiant de tutela bonorum fortunae, ne maximum ab invasoribus capiant detrimentum, attamen aliqui ab hac sententia recedendum esse censent. Mihi autem ut aperte dicam, priorum sententia recta et vera videtur (3). Quaero itaque ab istis, qui tenent recte interfici posse invasorem vitae, cur negent eadem argumentorum genera vim habere pro defensione rerum suarum magni momenti? Unica vel saltem praecipua ratio haec est, quia inter vitam et vitam adest proportio, et in hoc casu (ut loquitur Genuensis) lex *talionis*,

(1) Pro Milone. « Pudicitiam cum eriperet militi Tribunus militum
» in exercitu C. Marii, propinquus ejus Imperatoris, interfectus ab eo
» est, cui vim inferebat. Facere enim probus adolescens periculose,
» quam perpeti turpiter maluit. Atque hunc ille vir summus scelere so-
» lutum periculo liberavit ».

(2) Gregorius Turonen. l. 9. His. refert. « Regem non modo vitam
» donasse, sed remunerationem tribuisse puellae, quae velut altera Ju-
» dith, suae pudicitiae aggressorem occiderat ».

(3) Ne quis forte putet, temere id a me affirmari, eum monitum volo, innumeros pene esse doctores, qui huic sententiae subscribunt, adeo ut eruditissimus Grotius asserere non dubitaverit (de jure B. et P. l. 2. c. 1. §. 12.) « hodie *omnes* ferme tam jurisconsulti, quam theo-
» logi docent, recte hominem a nobis interfici posse rerum defendenda-
» rum causa »: inter quos multi ingenio, doctrina, et sanctitate praestantes e. g. D. Thomas loco cit. ita disserit: qui occidit invasorem pro defensione propriae domus non est reus homicidii: ergo multo minus pro defensione vitae: eamdem sententiam docuit s. Antoninus 3. p. tit. 4. c. 3. §. 15. et ut reliquos praeteream; s. Alfonsus De Ligorio hanc tuetur tamquam *probabilissimam et communem.* Theol. mor. l. 3. t. 4. etc.

quae est fundamentum justitiae, applicari potest; at ea quae inter rem et vitam inaequalitas est, iniquam occisivam rerum defensionem facit. Verum hujusmodi difficultas ex non admodum clara et distincta idea justitiae tota pendet. Non enim necessaria est ad justitiam servandam materialis aequalitas, inter damnum, quod nobis imminet, et damnum quod invasori inferri oporteat, si bona haec nostra tueri velimus. Proportio quae defensionem violentam inculpatam et aequam facit, in hoc tantum sita est, ut aggressoris occisio unica et necessaria ratio sit conservandi nostra haec perfecta gravisque momenti jura; scilicet (ut perspecte ait s. Thomas superiori art. relatus) nostra actio *sit proportionata fini huic gravissimo*, seu nostri juris tutelae; non autem attendendum est ad majorem vel aequalem damni quantitatem, quod praeter nostram intentionem, et nonnisi invadentis vitio et voluntate evenit. Quis unquam injustitiae crimine redarguat divitem, qui ut a renuente debitore centum aureorum summam sibi vindicet, publicam auctoritatem adit, magnam ejus bonorum partem, hasta posita, minimi vendit, ut sua recipiat tanto cum graviori detrimento debitoris? Si haec contra justitiam dicas, omnium tribunalium regulas, quae jura creditorum ita tuentur, ad injuriam fovendam statutas esse dicere itidem debes. Cur igitur actus illi, licet multo graviora inferant damna, justi sunt? Quia proportionati, idest necessarii ad jura creditoris tuenda et compensanda. Quamquam igitur major sit vitae perditio, quam rerum suarum etiamsi gravissimi momenti, tamen proportio justitiae moderata defensione nullimode laeditur.

Ceterum et hoc animadverti debet, quod quamvis vita hominis sit ordinis superioris prae bonis fortunae, quae non sunt nisi media ad vitae ipsius conservationem: nihilominus si consideretur, ut par est, non damnum unius individui, sed universae societatis, scilicet si consideretur in genere *jus* conservandi res suas contra injurias ab invasore intentatas, dicendum omnino, hoc jus maximopere praestare ipsi vitae

injusti aggressoris. Si enim jus ita tuendi res suas gravissimi momenti individuo negetur, negari etiam debet jus hoc coactivum ceteris societatis individuis, negandum itidem est Principi tam in criminibus civium comprimendis, quam in bellis adversus hostes gerendis, quando ageretur non de universi status defensione, sed de aliis injuriis intentatis aut illatis, quae licet graves forent, non absolutam tamen reipublicae perniciem afferrent. Itaque cum jus defendendi res suas omnes, aut magnam eorum partem, sit in se gravis momenti, gravissimi autem si consideretur relate ad universae societatis incolumitatem: cumque actus sua defendendi etiam vi occisiva cum moderamine inculpatae tutelae sit fini huic proportionatus, idest necessarius: sequitur eumdem esse justum.

Sublata autem unica, vel potissima objectione, concludendum est, omnia rationis argumenta in superiori articulo exposita, quae demonstrant cuique esse jus vim in propriam vitam impendentem vi propulsandi; eadem itidem valere pro defensione jurium ceterorum perfectorum gravis momenti quae actu possidemus, et quae violentae aggressioni subjacere possunt.

Iuvat etiam hic addere et aliud argumentum ex jure *positivo*. In eo enim non solum generale hoc criterium statuitur sine ulla iniuriarum specifica limitatione, nempe, *vim vi repellere omnes leges et omnia jura permittunt*; nec solum expresse dicitur licere vitae et pudicitiae invasorem occidere, ut superius vidimus: verum eamdem etiam facultatem cuique asserunt vel tribuunt leges positivae, divina, canonica, et civilis adversus rerum nostrarum destructorem aut raptorem, quando gravis momenti damnum immineat. Primum recolenda sunt ea quae c. *significasti* 18. *de homicidio* superius retulimus; et scopum Innocentii III. consideremus. Consultus fuit summus Pontifex circa canonicum quemdam regularem, qui insequutus furem fugientem secumque ferentem pretiosam supellectilem e Tabernaculo abreptam, eum compre-

hensum et multitudine circumventum, cum res jam in tuto essent, tamen fossorio arrepto iu capite percusserat, ceteris quoque eum plectentibus: quare fur ille interiit; respondet Innocentius « Quamquam vim vi repellere omnes leges et » omnia jura permittant; quia tamen id fieri debet cum mo- » deramine inculpatae tutelae, non ad sumendam vindictam, » sed ad injuriam propulsandam, non videtur idem sacerdos » a poena homicidii *penitus* excusari » Igitur non redarguit S. Pontifex Canonici agendi rationem, ex eo quod res illas pretiosas vi defendere praesumpserit; sed tantum quia ad sumendam vindictam, potius quam ad injuriam propulsandam majori, quam oportuit, violentia usus sit: redarguit, inquam, defectum moderaminis, non negat, imo expresse asserit jus defensionis violentae, si necesse sit.

Addit S. Alfonsus de Ligorio idem probari ex capite *Dilecto* de sent. excom. in 6. ubi dicitur « Licuit utique ipsi » Decano, si praedictus Ballivus eum bonis suis mundanis » injuriose expoliare praesumpserit . . . . se tueri ». Deinde subditur « et quoniam adversus ejus nimiam potentiam » sufficiens temporalis defensio sibi forte non aderat ». *Ex quo* (infert Ligorius) *supponit Papa potuisse armis saecularibus se defendere, si vires suppetebant.*

Tandem operae pretium est diligenter expendere verba Legis divinae per Moysen latae. « Si effringens fur domum » sive suffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus » fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto sole » hoc fecerit homicidium perpetravit » Exod. 22. Cui congruit lex Solonis a Demostene adversus Timocratem commemorata, nec non lex romana XII. Tabularum (1) et Platonis scitum nono de legibus. Itaque leges istae omnes in hoc conveniunt; ut distincto nocturno a diurno fure, illum noctu deprehensum

(1) Jurisconsultus Cajus L. itaque 4. §. 1. ff. ad leg. Aquil. inquit » Lex XII Tabularum furem noctu deprehensum occidere permittit: » ut tamen idipsum cum clamore testificetur . . . . Interdiu autem de- » prehensum ita permittit occidere, si is se telo defendat; ut tamen aeque » cum clamore testificetur ».

sine homicidii crimine interfici posse statuant; diurnum non item, nisi forte, juxta leges romanas, telo se defendat. Quo posito, priusquam examen intimius instituamus de legum ratione, simplex et vera harum interpretatio haec mihi videtur esse. Lex mosaica, legesque civiles aliquo in casu rerum nostrarum furem, aut vastatorem jure interfici posse sanciunt: ergo si tempus est ullum jure *furem* interficiendi, illud profecto est, quo res meae omnes, aut magna ex parte adeo periclitentur, ut, nisi fur iuterficiatur, periturae sint.

Sin autem rem penitius consideremus, intelligemus nihil aliud eas leges significare voluisse, quam aequam esse violentam rerum suarum defensionem cum moderamine inculpatae tutelae.

Nonnulli fuerunt, qui leges omnes positivas, cum eas de iniquo vitae aut pudicitiae invasore, tum hanc de fure necessaria defensione interfecto, pro foro mere externo ita latas fuisse putaverint, ut nonnisi de criminis tolerantia intelligendae sint, quatenus nempe aggressoris interfector, positis certis conditionibus, non quidem a peccato immunis declaretur, sed a poena tantum civili liberetur. Quae autem superius dixi satis esse videntur ad falsam horum interpretationem repudiandam. Verum nonnulla hic addere juvat ad naturam harum legum recte determinandam, ut aequivocatio omnis tollatur, et res nostra aperte confirmetur.

Istae quidem leges non tradunt *populo* doctrinam de moribus, neque sunt regulae ad conscientiam cujusque dirigendam; sed sunt regulae *judicibus* propositae, quae spectant formam et praxim judiciorum in tribunali servandam. Etenim si pro regulis conscientiae accipiantur, falsae et iniquae prorsus forent, quod nefas dictu est: quia licentiam concederent interficiendi furem nocturnum etiamsi inermem, diurnum si cum telo se defendat: contingere autem facile potest, ut non solum nocturnus fur sine telo, sed et diurnus, etiamsi armis, et sociis protectus, absque ejus caede domo excludi et propulsari possit; quem si quis

interficiat, reus certe homicidii foret. Sunt itaque leges illae pro judicibus constitutae, quae *supponunt* doctrinam de juribus et officiis naturalibus, in iisque totae insistunt; sed nonnisi praxim forensem judiciorum in criminibus discernendis prudentissimo criterio regunt, et moderantur. Scientia enim legislativa et judiciaria est scientia mixta, constans ex principiis juris naturalis, et ex regulis a consueto rerum humanarum cursu, et experientia depromptis. Itaque ut judices generali et prudentissimo, quoad fieri possit, criterio discernere valeant homicidium voluntarium et criminosum ab occisione praeter voluntatem et inculpata: haec regula ponitur de diurno, et nocturno fure, de clamoribus, de telo. Moraliter enim impossibile censeri debet, in civili societate furem de die et sine armis deprehensum nullo alio mitiori medio nisi morte comprimi et repelli posse, nullamque aliam rationem praesto esse sua defendendi, aut recuperandi. Cum vero nocturna defensio plena sit periculi, et difficilius sperari possit vicinorum aut magistratuum auxilium et testimonium; ideo praesumptio favet inculpatae defensioni in nocturni furis occisione. Quare leges istae nonnisi generale prudentiae forensis criterium sanciunt, quo decernere possint judices, utrum occisio furis ex necessitate et cum moderamine inculpatae tutelae, an immoderata violentia facta sit. Justitiae ergo principium et norma, cui leges illae necessario innituntur, quamque probant, haec procul dubio est; iniquum rerum nostrarum gravis momenti aggressorem, aut destructorem interfici jure posse, si nulla alia ratione ac mitiori medio nostra bona defendi possint.

ARTICULUS III.

De illegitima jurium defensione.

Haec omnia quae de justa sui rerumque suarum defensione diximus, aptari certe nequeunt alteri sententiae, initio

hujus capitis commemoratae, quae liberam se suaque armis defendendi licentiam cuique concedit. Nonnulli enim impudentissime docuerunt, licere rerum suarum invasorem perimere, sive hae certi juris sint et a nobis actu possessae, sive de iis dominium tantummodo habeamus, imo etiam si ad eas jus *inchoatum*, ut ajunt, nobis tantum sit; sive damnum sit leve, sive grave; sive illud inferre quis conetur, sive jam intulerit; sive fraude et calumniis, sive armis in aggressione utatur. Quae quidem pseudo-moralistarum opiniones repudiandae omnino sunt non modo quia ab Ecclesiae tribunali expresse damnatae (quod satis esse deberet cuique christiano philosopho), nec solum quia supra relatis omnibus positivis legibus directe adversantur, quae nonnisi gravissimis de causis iniqui invasoris vim vi repellere permittunt, cum moderamine tamen inculpatae tutelae; verum etiam quia ipsa ratio eas falsas, et iniquas apertissime revincit.

Etenim cum gravissima extet naturae lex neminem laedendi; unde ea, quae est omnium temporalium injuriarum maxima, hominis nempe occisio, abscisse vetatur; sequitur, si unquam liceat hominem scienter interficere, necesse esse, ut haec tria omnino concurrant: 1. ut occisio sit *praeter voluntatem*, scilicet, quamquam ex nostra actione praevideatur alterius mors secutura, tamen nostra intentio alio directa sit; quod evenit in vero rerum conflictu et collisione, quando actio aliqua (ut ait laudatus D. Thomas) duos effectus producit, quorum alter sit in intentione, e. g. sui rerumque suarum conservatio, alter praeter intentionem, ut invadentis occisio, 2. ut actus ex bona intentione proveniens sit proportionatus fini, seu necessarius in casu nostro jurium suorum incolumitati, 3. tandem ut defensio cum occisione etiam aggressoris non repugnet, imo consentanea sit non solum privatae cujusque incolumitati, verum etiam universae societatis bono. Atqui si aggressor non sit injustus, ac violentus, nec damnum grave et evidens sit, idque alio mitiori medio propulsari possit, desunt illae conditiones, quae

necessariae prorsus sunt, ut alterius mors licet praevisa et indirecte a nobis illata, nobis tamen non imputetur.

In primis enim jure resisti aggressori nequit, si ipse justam causam, seu jus habeat nos nostraque invadendi, utpote magistratus ejusque ministri qui in sontes animadvertunt ; aut quisquis in extrema necessitate constitutus, qui etiam vi extorquere potest, quod suae vitae substentandae necessarium est, aliisque superfluum. Si enim ipsa natura jus cuidam tribuit aggrediendi, eadem natura jus aufert a nobis ei resistendi: haec aliorum juri obligatio respondeat necesse est. Sin autem aggressor sit injustus, damnum autem quod timetur nec grave, nec admodum certum; aut si evidens et grave sit, alio mitiori medio declinari queat, immane prorsus et iniquum censendum est, nec non sibi ipsi periculosum ac publicae tranquillitati adversum, sine ulla necessitate certum gravissimumque occisiva defensione damnum inferre.

Aliqua difficultas exoriri potest, cum vaferrimi homines non vi et armis, sed calumniis et fraudibus aliorum jura perdere conantur; videtur enim aliquando unica evadendi via esse hujuscemodi homines de medio tollere. Sed falso omnino. Arma enim ab ipsa natura homini concessa ad calumnias, fraudes et damna, quae inde provenire possunt, propulsanda, aequa et accommodata, sunt refutationes, argumenta, rectus rationis usus, quibus mendacia, erroresque deteguntur. Vis autem nonnisi ad vim repellendam apta et conveniens natura sua est. Praeterea saepius incertum est an fraudes et calumniae gravi detrimento nobis futurae sint ; calliditas enim facile in deceptorem recidit; et quamvis hic et nunc nulla effulgeat spes ac ratio evadendi, veritas tamen et innocentia insperato emergit. Fingamus porro ob grave damnum, quod timeatur per calumnias et dolos malos inferendum, licere aliquando insidiatorem perimere; cum nemo aequus sit judex in causa sua; quisquis etsi jure accusatus, in judicium accersitus, a legitimo tribunali damnandus sibi

licere arbitraretur accusatorem, testes, ipsumque judicem interficere; quod in maximum reipublicae detrimentum cederet et irritam prorsus faceret magistratuum potestatem (1). Iniquum ergo semper censendum est ad fraudes repellendas vim adhibere. Sin aliquando innocens a callido homine vincitur, vir bonus aequo animo patiatur humanae conditionis calamitatem, quemadmodum etiam destitutus corporis viribus et inermis fortem et armatum invasorem propulsare non valens misere succumbit. Haec omnia, sicut cetera hujus miserrimae vitae infortunia, toleranda nobis sunt.

ARTICULUS IV.

De singulari certamine.

Cum jamdiu quasi justa honoris rerumque suarum defendendarum ratio, et illustre viri equestris facinus, *detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo, sit introductus, ut cruenta corporum morte etiam animarum perniciem lucretur* (C. Trid. sess. 25. c. 19. de Reform.); hinc peropportunum censeo hac de re dedita opera disserere. *Duellum* itaque, graece μονομαχια, est *singulare certamen ex utraque parte sponte*

(1) Ab Alexandro VII. damnata est prop. 18. « Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum vitare ».
Innoc. XI. damnavit prop. 30. « fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit; idemque dicendum; si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat ». (in altero enim casu non esset defensio, sed ultio privata, quae nemini licet.) Idemque Pontifex damnavit prop. 33. « Licitum est tam haeredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel haereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter (idest defensione occisiva) defendere » Praeterea sub. n. 31. damnavit Innocentius « regulariter possum occidere furem pro conservatione unius aurei » Et Alexander VII. pr. 32. « Non solum licitum est defendere defensione occisiva quae actu possidemus, sed etiam ad quae jus inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus ».

et ex condicto susceptum, designato loco et tempore ad occisionem, mutilationem aut vulnera infligenda. Duelli quidem natura non immutatur sive unus contra unum, sive plures adversus plures in certamen veniant (1); itemque sive *solemne* instituatur (servata nempe quadam forma circa tempus et locum securitatis, vulgo *campo franco,* adhibitis etiam testibus, patrinis, literis aut nuntiis provocatoriis) sive *privatim* instituatur. Vera enim et specifica hujusce concertationis ratio consistit in *condicto,* scilicet in provocatione spontanea unius ad cruentam pugnam, et alterius item spontanea acceptatione. Quare proprie dicti duelli rationem non habent rixae, et congressiones ex tempore ortae et susceptae; neque singularis dimicatio, quae quamvis externam duelli formam quoad tempus, locum aliasve circumstantias praeseferat; tamen ex una tantum parte spontanea sit, veluti *si invasor* (ut ait Grotius) *concedat alteri licentiam dimicandi alioqui eum occisurus sine dimicatione.*

Quod autem in re nostra praecipue animadverti debet illud est, ut bene distinguatur duellum ex causa publica, seu ad commune civitatis bonum pertinenti susceptum, et suprema civili potestate expresse aut tacite consentiente, a duello privata ratione et voluntate inito. Nemini dubium, quin certamen illud ad graviores publicas calamitates tollendas aliaque reipublicae bona procuranda, summis potestatibus annuentibus, liceat quandoque institui; idque illustribus historiae sacrae, ecclesiasticae et civilis omnium fere populorum exemplis confirmatur (2).

(1) « Puta inter singulos utrinque ut Aenaeam et Turnum, Menelaum et Paridem; inter binos utrinque ut inter Aetolos, et Eleos; inter ternos utrinque ut inter Horatios Romanos, et Curiatios Albanos; inter tricenos utrinque ut inter Lacedaemonios et Argivos (Grotius de. I. B. et P. l. 3. c. 20. §. 43.)

(2) Neminem profecto latet singulare certamen Davidis cum Goliath. Simili de causa Heraclium Imp. cum Cosroae filio concertasse ex historia accepimus; ac S. Wenceslaum Boemiae ducem adversus ducem Corimensem duellum iniisse, visosque Angelos arma ministrantes, et ad-

Non ita profecto censendum est de duello privatim et sponte sua suscepto. Consuetudo isthaec (ut sapientissimus Cardinalis Gerdilius magno eruditionis apparatu demonstrat in opere cui tit. *Des combats singuliers*) haec inquam consuetudo pugnae singularis et privatae veteribus fere incognita aut improbata, sequioribus saeculis a barbaris in Europam invecta, quaeque antea morum feritate, ignorantia ac superstitione alta est et roborata, postea philosophos etiam quosdam ac theologos fautores habuit. Quorum alii docuerunt « licitum esse in statu hominis naturali acceptare et offerre » duellum ad servandas cum honore facultates, quando alio » remedio eorum jactura propulsari nequit » idque, addunt, » applicari etiam posse statui civitatis male ordinatae, in qua » nimirum vel negligentia vel malitia magistratus justitia » aperte denegatur ». Alii autem ex gravi metu amissionis famae vel officii quemque, ac virum militarem praesertim, duellum acceptare aut ad illud provocare jure posse, ajunt, etiam in optime constituta republica; idque magnopere conducere ad militum virtutem excitandam, magnosque animos efformandos. Alii denique, qui privati hujusmodi certaminis honestatem asserere non audent, defendunt tamen « excusari » posse etiam honoris tuendi, vel humanae vilipensionis vi- » tandae gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocan- » tes, quando certo sciunt pugnam non esse sequuturam, » utpote ab aliis impediendam (1) ».

Nos itaque contra eos omnes, qui non feris barbarorum moribus aut vulgi sensu et approbatione, aut supersti-

versario dixisse *ne ferias*. Et ut mittam Filippum VI. Valesium ab Eduardo III. Angliae Rege, Franciscum I. Regem Galliae a Carolo V. Imperatore provocatos ec; quis ignorat tergeminam Horatiorum et Curatiorum pugnam, quis tercentorum Argivorum cum totidem Spartanis duellum, aliosque omnium scriptorum praeconiis commendatos?

(1) Hasce omnes falsas opiniones recensuit, et damnavit Benedictus XIV. in sua Constitutione, quae incipit *Detestabilem*, edita die 13 Nov. an. 1752.

tione ducti (1) duellum commendabant; sed contra eos tantummodo, qui duelli honestatem ex juris naturalis principiis tueri conantur, hanc demonstrandam thesim proponimus.

Privatum certamen seu duellum legi naturali essentialiter adversatur.

Ut autem variae superius recensitae opiniones distinctius et plenius refutentur, primum duplici ex ratione argumento utar, quorum alterum demonstrabit, officiis *hominis* etiam in naturali statu considerati, alterum officiis *civis* duellum essentialiter adversari: denique non solum sapientum, et politiorum populorum sententia, verum etiam utriusque supremae potestatis, civilis nempe et ecclesiasticae auctoritate id confirmabitur.

Et primum quoad hominis officia, certum perspectumque cuique sanae mentis homini est, facinus illud naturae legi essentialiter adversari, quo quis absque gravissima causa, et absque ulla necessitate vel suae vitae discrimen temere subire audeat, vel alteri mortem inferre conetur: id enim et supremo Dei dominio, et gravi suae vitae conservandae obligationi, ac fundamentali societatis humanae legi omnino repugnat. Jam vero qui non pro salute communi ac suprema Potestate impellente, sed sponte sua ob vanum honoris idolum aut sub privatae utilitatis praetextu duellum ex *condicto* suscipit, statuto nempe loco, tempore, armis ec., is uno eodemque actu et temere seipsum objicit gravissimo periculo mortis, ab alterutro ex duellantibus certe oppetendae; et re mature perpensa, ac magno temporis intervallo praeparata, alterum interficere nititur. Quisquis ergo vel offert, vel acceptat, vel tandem singulare subit certamen, primaria erga se et erga alios officia iniquissime violat.

At enim « vir militaris, qui nisi offerat et acceptet » duellum tamquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad

(1) Apud barbaros rudioresque populos opinio invaluerat, in singularibus certaminibus Deum illi victoriam concessurum, qui pro veritate, justitia et honestate in discrimen veniret.

» officia militaria ineptus haberetur ; indeque officio, quo » se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias » sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, » culpa et poena vacat, sive offerat, sive acceptet duel» lum ». (Ita prop. I. ex quinque damnatis a Benedicto XIV. loco cit.). Hoc enim in casu adeo gravis causa intercedere videtur, quae honorato ac forti viro vitae ipsi anteferenda sit. In duello autem suscipiendo necesse non est odii et ultionis desiderium fovere; imo vir fortis nonnisi ad honorem suum, aliaque jura defendenda animum intendit, suaeque vitae et alienae praeter intentionem et indirecte discrimen subit.

Verum in inculpata sui defensione adnotavimus, praeter iniquam ac violentam aggressionem, duo alia necessario requiri 1. causam gravem, scilicet laesionem, quam invasor inferre conatur, magni momenti esse debere : 2. grave hoc damnum nullo alio mitiori modo nisi invadentis morte propulsari posse. Quae duae conditiones etiam necessariae sunt in propriae vitae discrimine jure subeundo. Atqui in duello privato neutrum unquam contingit; quae enim maximae fingi possunt privati certaminis causae, timidi nempe abjectique animi nota, et officii militaris privatio, vanissimae sunt. Etenim fama in bonis quidem est, si verae virtutis fundamentum habeat, secus vana gloria et malum est. Si enim e. g. vulgus laudet tamquam magnanimos et honoratos, qui graviter irascuntur inimicis et ulciscuntur injurias; aut liberales censeat, qui inconsulte largiantur, et luxuriose sua bona in convivia, ludos, et parasitos alendos disperdant, contra vero mites et patientes injuriae, aut qui parce, continenter ac prudenter vivunt, eos abjectos, viles, avaros, et sordidos dictitet: nunquid vir sapiens ad falsam stultorum laudem sibi captandam erroribus multitudinis imperitae ac depravatae inserviendum putabit? Itaque si certum esset (quod non tam facile concederem) eum qui offert vel acceptat duellum strenui ac fortis viri gloriam, qui autem certamen illud subire recusat, vilis et abjecti infamiam conse-

quuturum; tunc considerandum esset utrum hoc vulgi judicium et laudatio vel exprobratio verae virtuti et vitio respondeat. Hoc autem loco agitur de militari virtute et de verae fortitudinis existimatione. Jamvero sicut ceterae morales virtutes medium tenent inter duo opposita vitia, ita animi fortitudo, ut ait Aristoteles, est *mediocritas inter metum et audaciam*. Igitur non solum timiditas fortitudini adversatur; verum etiam « ea animi elatio quae cernitur in periculis et laboribus, si » justitia vacat, propugnatque *non pro salute communi, sed* » *pro suis commodis*, in vitio est: non enim modo id vir- » tutis non est, sed potius immanitatis omnem humanitatem » repellentis. Itaque probe definitur a stoicis fortitudo, cum » eam virtutem esse dicant propugnantem pro aequitate . . . » Praeclarum igitur Platonis illud . . . animus paratus ad » periculum, *si sua cupiditate non utilitate communi impellitur*, » *audaciae potius nomen habet, quam fortitudinis* ». (Cic. de offi. l. I. c. 19.) Atqui in duello *privato*, non pro salute et utilitate communi, sed pro suis commodis, suaque cupiditate propugnatur: ergo duellantium facinus a sapientibus audaciae potius nomen habet, quam fortitudinis. Si igitur a quibusdam, vel etiam pluribus depravatae mentis ac facinorosis hominibus duellum in laude ponitur, vir sapiens ac vere fortis contemnat stultorum sententiam.

At grave admodum viro militari est contemptui esse multitudini etsi falso. Ergo ne duellum inire debebit? Minime sane; sed aliis mediis aequis et ad animi firmitatem ac fortitudinem demonstrandam aptis, si ei praesto sint (1),

(1) Multi moralistae suggerunt virum militarem ad duellum provocatum ad timiditatis suspicionem prorsus delendam, strenue respondere posse: duellum utpote a civilibus divinisque legibus vetitum equidem recuso. Scito autem, me sicut antea diu noctuque de more mea negotia palam acturum: si quis vero me improviso invadere attentaverit, iniquam aggressionem propulsare sum paratus. Vel etiam vir militaris eo ipso dum per provocationem contumeliis afficitur, utpote publicam personam gerens, et violatae legis ultor a Principe constitutus, posset illico provocatorem aggredi, armis eum exuere, et in vincula ponere.

utatur: nunquam vero duellum subeat, quod non ejus fortitudinem, sed iniquam insanientis animi audaciam, ulciscendi libidinem, et cum suae tum alienae vitae prodigalitatem demonstrat.

Taedet vero me in altera objectionis parte de vanissima officii militaris amittendi formidine vel minimum immorari. Id enim apud barbaros ac feros populos, vel sub impiissimo tyranno contingere fortasse poterit, at in civilibus imperiis, in quibus vel contra duellum lex expresse sancita est, vel ad summum ejus abusus toleratur, qui fieri tam facile posse censemus. ut vir militaris, in suo munere rite exercendo ceteroquin probatus, de gradu et officio dejiciatur, quia quod omnes leges et jura vetant, id agere noluerit? Quamquam autem ab iniquo magistratu, vel imperatore haec injuria timeretur, tamen damnum levissimum censendum foret in comparatione eorum, quae in duello imminent. Etenim duellantes non solum aliorum sed suam quoque vitam, et una cum vita ea ipsa bona, officia nempe, promotiones, vel alia hujusmodi, de quibus certant, in discrimen ponunt; quo nihil dementius excogitari potest.

Quid? Si duellum iniens certo sciat, pugnam non esse sequuturam utpote ab aliis impediendam, nonne excusatione dignus putabitur? Minime sane: quod enim fieri non decet, id nec cogitare, aut moliri aequum est. Cum autem ex dictis et dicendis singularia certamina naturae legi omnino repugnent, improbum est, se ad rem iniquam perpetrandam paratum praebere; eoque magis quia ad alterius peccatum, qui de impediendo duelli exitu ignarus est, fomenta praebet et cooperatur.

Non solum autem primariis hominis officiis, verum etiam essentiali civilis regiminis constitutioni privata certamina adversantur. Etenim civile regimen, ut sapienter monet Lockius, tribus rebus veluti essentiali fundamento innititur; 1. *Legibus*, quae sunt universalis norma et communis justi

et injusti mensura, quaeque uniformitatem in civilem statum inducunt; 2. *Tribunali* auctoritate praedito subditorum querelas et lites pacifica ratione componendi juxta legum ordinationem: 3. denique *Suprema potestate* ex omnium civium conjunctione et viribus conflata, quae non modo externorum hostium impetus reprimat, arceatque; sed interno etiam regimini, et tranquillitati prospiciens leges ac Magistratus in justitiae administratione tueatur, eorumque mandata faciat. Triplex itaque haec auctoritas *legislativa, judiciaria, coactiva,* cuique perfectae reipublicae essentialis, efficit, ut in civili corpore una sit mens, una voluntas, unaque suprema vis et coactio.

Quae cum ita sint apparet, omnia quidem crimina societatis ordinem, et tranquillitatem perturbare, et contra supremam potestatem quodammodo insurgere: non autem essentialia societatis fundamenta, et regiminis supremi auctoritatem subvertere intendunt: furtum enim, homicidium, aliaque hujusmodi non tamquam honesta facinora habent; sed qui talia agunt, non admodum solliciti de supremae auctoritatis animadversione, ad explendas suas cupiditates ea faciunt. At duellantes iniquum aut ineptum et imbecillum ad. sua jura defendenda politicum regimen et magistratum ducentes, se ipsos judices ac vindices constituunt, remque honestam et praeclaram se agere jactitant. Privata ergo certamina praecipua fundamenta, quibus universus reipublicae ordo innititur, aperte et directe impetunt.

Quare nihil insipientius eo, quod duelli laudatores dictitare solent, cum id in militibus praesertim magnopere valere ajunt, ad militarem virtutem alendam et exercituum ac civitatis robur firmandum. Primo enim falso putant singulare certamen fortitudinis indicium esse, cum contra ex Platonis, Aristotelis, Ciceronis ac sapientium omnium doctrina, audaciae potius et insaniae nomen mereatur. Dein vero militum virtus et exercituum robur nascitur, firmatur, augetur, non privatis militum odiis et concertationibus, sed ser-

vata ordinis disciplina, obedientia, atque indissolubili virium conjunctione.

Verum nonnulli oppositae sententiae patroni inquiunt, *in statu civitatis male ordinatae, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia magistratus justitia aperte denegatur*, duellum ex necessitate institui jure potest ad accidentalem civilis regiminis defectum emendandum.

Haec objectio duplici vitio laborat: primo enim si quoties privata sententia censeamus, male a magistratibus rempublicam administrari, nostraque privata jura vel oscitantia, vel imperitia, vel malitia negligi ac violari; toties judiciariam et coactivam potestatem nobis usurpare liceret; universa supremi regiminis auctoritas inutilis fieret ac prorsus evanesceret. 2. Dato autem, quod ob publicas calamitates et subversionem contingere aliquando possit, ut civitatis status in anarchiam prolabatur ac singuli cives sui juris fiant, tunc contra iniquos invasores quisque se suaque etiam vi tueri posset, cum moderamine inculpatae tutelae, nunquam vero stultam et iniquam duelli concertationem inire.

Insistunt autem adversarii dicendo: homo in statu naturali, vel anarchico constitutus eadem illa jura adversus alios homines habet, quibus praeditae sunt singulae respublicae, et nationes inter se: atqui unaquaeque respublica honoris et jurium suorum tuendi gratia bellum alteri indicere aut acceptare jure potest; quamvis incertus bellorum exitus sit, saepiusque contingat, ut qui justum bellum gerit praepotentium iniquorum armis et imperio subjiciatur: simili igitur ratione duellum seu pugna singularis in statu naturae vel reipublicae male ordinatae et in anarchiam prolapsae, justa et honesta dicenda est.

Quibus respondeo; quamquam in statu hominis naturali jus privatae defensionis et compensationis latius pateat, et aequiparari quodammodo possit juri bellico gentium: tamen justa bella nihil commune habent cum duello privato, quod ex *condicto* instituitur. Legitima enim belli gerendi facultas

in eo non est, ut jurium defensio, ac suae causae decisio incerto sortis arbitrio committatur. Principes tunc legitime bella gerunt, cum suae causae aequitate perspecta et cognita, nonnisi necessitate compulsi arma capiunt, atque undique ea subsidia sibi comparant, quae prudentia suggesserit, ut hostes quamvis inviti ad rationis jura reducantur, aut eorum pervicacia ac violentia comprimatur. Quod contra fit in duello; qui enim illud suscipit, is posthabitis mitioribus rationis mediis et prudentiae consiliis, ad arma proruit, et ex pacto, aequato marte, pares conditiones tribuit hosti, sibique facultatem adimit recedendi a certamine, auxilia ab aliis postulandi, aggressionem antevertendi, aliisque mediis propulsandi.

At enim; etsi non omnimoda paritas inter bella et singularia certamina intercedat: haec tamen habetur inter duella, quae Principes adversus alios Principes aliquando ex condicto instituunt, et duella privatorum hominum inter se: si enim illa recte fieri possunt, cur non item haec? Numquid civitas adversus aliam civitatem, Princeps adversus Principem diversa jura, et officia habet ab iis, quae singulis hominibus natura tribuit, et imponit? Ita adversarii.

Ultro equidem concedo, verissimum esse Wolfii criterium de statu nationum, cum eas tamquam *personas morales* considerat in naturae statu viventes, ita ut singulae civitates cum suo imperio eadem justitiae et honestatis lege inter se consocientur; nec majora aut minora jura habere possit Princeps civitatis adversus alium Principem, quam quae singulis hominibus naturae lege tribuuntur: attamen, eodem Wolfio perspecte monente, cum natura individui humani diversa sit a natura corporis socialis, quod ex pluribus hominibus et familiis sub suprema potestate constitutis coalescit: hinc fit, ut ea ipsa jura et officia in eorum applicatione non raro novam quamdam formam induant. Ita profecto in nostro casu contingit: jus enim defensionis tam in singulis hominibus, quam in imperiis idem est: usus au-

tem istius juris non semper eodem modo se habet. Itaque duellum aliquando cuidam populo minimum de malis esse potest. » Si res bello digna agitur (ait Grotius De jure belli et » pacis l. III. c. 20. §. 43.) ut multorum innocentium sa- » lus, pro ea totis viribus nitendum est . . . Una res est » quae *condictum* certamen justum et pium potest reddere » ex una dumtaxat parte, ut qui justam causam fovet vi- » ctor sit futurus cum magna innocentium strage: nihil enim » ei imputandum est, qui mavult ea ratione certare, quae » spem ipsi maxime probabilem ostendat » (1). In duello autem privato maxima de malis semper habentur, quia ad minoris momenti bona, vel etiam futilia et vana defendenda, tam propria quam aliena vita stulte et inique contemnitur.

Quae cum ita sint, concludendum est, in quovis statu sive naturali, sive civili primariis justitiae officiis duellum omnino adversari. Quapropter si originem infandae huius consuetudinis investigemus, non eam reperiemus apud Graecos et Romanos qui scientiis, politioribus disciplinis, et militari laude prae ceteris floruerunt, penes quos si quod privati certaminis exemplum habetur contemptu et ignominia notatur (Con-

(1) Perillustre nobis praebet exemplum Horatiorum et Curiatiorum certamen. Cum enim sub levissimarum querelarum praetextu bellum horridum exarsisset *civili simillimum bello prope inter parentes natosque, trojanam utramque prolem*; nec ferox Tulli animus, nec concitatus populorum impetus retardari, et ad pacis studium reduci amplius posset, Metius Suffetius Dictator in Cluilii interfecti locum subrogatus haec in colloquio Tullo exposuit « Iniurias, et non redditas res ex foedere, » quae repetitae sint . . . , causam hujusce esse belli, audisse videor . . . » Sed si vera potius quam dictu speciosa dicenda sunt, cupido imperii » duos cognatos vicinosque populos ad arma stimulat. Neque recte an » perperam interpretor . . . Illud te, Tulli, monitum velim. Etrusca res » quanta circa nos, teque maxime sit, quo propiores vos, hoc magis » scis. Multum illi terra, plurimum mari pollent. Memor esto, jam cum » signum pugnae dabis, has duas acies spectaculo fore; ut fessos, con- » fectosque simul victorem ac victum aggrediantur. Itaque si nos dii » amant; quoniam non contenti libertate certa, in dubiam imperii, ser- » vitiique aleam imus; ineamus aliquam viam, qua utri utris imperent, » sine magna clade, sine multo sanguine utriusque populi decerni pos- » sit. » Hinc Horatiorum et Curatiorum duellum statutum fuit.

sulendus hac in re Card. Gerdilii opus sup. laud.) ; verum historicorum omnium consensione certum est, morem hunc seu potius corruptelam a barbaris praesertim septemtrionalibus in Europam invectam, et apud Longobardos, Germanos, Francos, Danos ac Sequanos eum abusum invaluisse, ut querelae, quas aequitas et toga componere debet, armis dissolvantur, ac praecidantur. Si igitur hac nostra etiam aetate aliquod malae hujusce consuetudinis exemplum videmus, tamquam surculus barbarorum jure meritoque habendus est; quem insana incredulorum philosophia conservat et alit. Hinc factum est, ut a civilibus omnium moratiorum populorum legibus privata certamina, severissimis appositis poenis prohibeantur (1). Ecclesia autem per summos Pontifices et concilia semper improbavit, ac praeter alias poenas, non solum duellantes, sed fautores omnes excommunicationis et perpetuae maledictionis vinculo obstrinxit; ut videre est in sess. 25. C. Tridentini *de reform.* cap. 19. (2). Ac tandem Bene-

(1) In jure civili vetere Romano privata certamina proscripta sunt, L. Num lusus. ff. ad L. Aquil.; et Constantinus M. in L. unic. c. de gladiator. L. 11. Inde Brunnemannus in legem hanc ait *qui duella ineunt laesae majestatis rei sunt.* In jure Romano novo Leopoldus prohibuit monomachiam *sub poena capitis*; quae constitutio anno 1668. in Comitiis Imperialibus ratihabita est ac confirmata. Statuta Galliae severissima edita fuerunt, ut duellorum abusus latissime propagatus comprimeretur; constat enim, referente Theophilo Raynaudo (Tom. 3. de virtut. et vitiis l. 5. sec. 3. c. 3.) *intra annos triginta tot hoc ferali modo in hoc uno Regno cecidisse, ut ex iis numerosissimus exercitus potuisset conflari.* Atque ita a ceteris fere omnibus civitatibus sancitum est, ita ut barbaricum duellorum morem generali Gentium execratione reprobatum esse merito concludat Henricus Coccejus in com. ad Grot, l. 2. c. 1. §. 15. tom. 2.

(2) Solemnes contra Duellantes Constitutiones editae sunt a RR. PP. Julio II., Leone X., Clemente VII., Pio V, Gregorio XIII. Clemente VIII. Alexandro VIII. et Benedicto XIV. Itemque decreta plurium Conciliorum ac praesertim C. Lateranensis an. 1215. C. Toletani an. 1473. et C. Tridentini. Porro quae sint poenae duello impositae ita ex Tridentino colligit S. Alfonsus De Ligorio « I. Excommunicatio ipso facto » incurrenda, et Pontifici reservata, quam etiam incurrunt patrini, con» sulentes (intellige efficaciter, secus si non persuaserint, ut bene ait » Elbel de hom. n. I. 22.), item favorem praebentes, Domini dantes lo» cum; ac etiam spectatores, non quidem illi qui obiter transeundo ibi

dictus XIV. in cit. const. *Detestabilem*, refutatis, et damnatis variis opinionibus, quas sophistae privati certaminis fautores protulerunt, utpote sollicitus Christifidelium Pastor alloquens Imperatorem, cunctosque catholicos Reges et Principes ita concludit « Enixe obtestamur in Domino, ut con-
» junctis studiis et animis exitiosae duellorum licentiae, qua
» regnorum tranquillitas, populorum securitas atque incolu-
» mitas, neque corporum solum, sed quae nullo pretio ae-
» stimari potest, aeterna animarum vita, certo periclitatur,
» omni nisu et constantia, vehementer obsistant . . . Nam
» si delinquentes aut oscitanter ferant, aut molliter puniant,
» alieno sese crimine polluent . . . Vani enim et falsi ho-
» noris idolo humanas litari victimas non impune feret su-
» premus omnium judex Deus; rationem ab iis aliquando exa-
» cturus, quorum est divina et humana jura tueri sibique
» creditorum hominum vitam servare ».

CAPUT III.

DE INJURIARUM PUNITIONE, ET COMPENSATIONE.

In quovis crimine, quo quis injuriam alteri intulerit, duo mala distingui debent, aliud *subjectivum*, scilicet iniqua nocentis voluntas, aliud *objectivum*, idest damnum, seu maleficium alteri illatum. Quare lex illa justitiae, quae jura unicuique tribuit ac tuetur, ut ordinis perturbatio emendetur, atque aequilibrium restituatur, duplici huic morbo duplex apponit remedium: vitiatae enim hominis voluntati per vin-

» reperiuntur, sed qui de industria spectant, et sua praesentia quo-
» dammodo approbant, et animant duellantes, prout Gregorius XIII., et
» Clemens VIII, explicant Tridentinum. II. poena est proscriptio omnium
» bonorum, cum perpetua infamia . . . . III. est privatio sepulturae ec-
» clesiasticae, si duellantes in ipso conflictu decedant. Excipiunt El-
» bel num 142. Tamb. Dian. ec. si alibi moriantur, vel si ante mortem
» signum praebeant poenitentiae. Sed in praefata Bulla *Detestabilem*, etiam
» isti privantur sepultura ecclesiastica, quamvis, ut ibi dicitur, *sacra-*
» *mentis muniti decesserint*. »

dicationem seu poenam medetur; injuriam autem alteri illatam debita compensatione reparandam esse jubet. Primum ergo de vindicatione seu poena, dein de maleficii compensatione disseremus.

ARTICULUS I.

De injuriarum punitione seu poena.

Grotius, qui de poena criminibus infligenda dedita opera pertractat (De jure belli et pacis I. 2. c. 20.) sapienter monet, in primis poenae ideam accurate definiendam esse; quia *origo ejus et natura minus intellecta multis errationibus causam dedit.* Itaque poena, si nominis hujus proprietas consideretur, nihil aliud valet nisi id quod corpus praegravat ac frangit, et doloris sensu animum afficit: dein transfertur ad quemvis animi moerorem et aegritudinem significandam, uno verbo poena generali sua significatione est *malum passionis.*

Verum poena in sensu legali ac morali est actualis criminum vindicatio, scilicet *malum passionis, quod infligitur ob malum actionis.* Quare ut ait Grotius « quae incommoda pa- » tiuntur aliqui ob morbum contagiosum, aut corpus muti- » lum, aut alias impuritates, quales multae extant in lege » haebrea, puta arceri coetibus, aut functionibus, proprie » poenae non sunt, quanquam ob similitudinem quamdam et » per abusionem eo vocabulo appellantur ». Itemque distinguenda est poena a compensatione damni illati, quod multi incaute confundunt, aliud est enim damna alteri injuste illata compensare, et jura aliena in pristinam integritatem restituere; aliud est verberibus, exilio, aut morte damnare sontes. Itaque poena proprie dicta est illa quae delicto redditur, *omnis poena* (ait Augustinus) *si justa est, peccati poena est.* (Lib. de Ira c. 32.)

Iam vero omnes orbis terrarum populi sive civilibus institutis ac legibus exculti, sive barbari, atque etiam er-

rantes ac sylvestres, crimina et maleficia semper punire consueverunt. Neque ulla extat aut positiva, aut naturalis lex, quae violatoribus poenas non minitetur, et infligat. Quare illud effatum qui *male fecit malum ferat* antiquissimum et Rhadamantheum jus a philosophis appellatur. « Nec deorum, » nec hominum quisquam dixerit (ait Plato) injuste agenti » non luendam poenam ». Et Hierax justitiam ex parte hac tamquam nobilissima definiebat *τιμωριας απαιτησιν παρα των προηδικηκοτων poenae exactionem ab iis qui priores laesere. Poenae* igitur et *vindicis justitiae* rectitudo et aequitas est communis generis humani idea et persuasio. Effectus autem generalis generalem causam, quae illum producit, necessario supponit: consensus generalis et constans, non opinionum commentum, sed naturae judicium est. Undenam ergo haec vindicis jnstitiae notio in hominibus habetur? Eja rem diligenter examinemus.

Distinguenda in primis est ulciscendi libido a recta criminis vindicatione: illa ex nocendi cupiditate et inimicitiae odio orta nec modum nec normam ullam servat; haec justitiae amore informatur, movetur et regitur.

» Quod ergo a mimo dictum est

Laeso doloris remedium inimici dolor:

» et a Cicerone dolorem poena mitigari, Plutarco ex Simo-
» nide *γλυκυ και ȣ σκληρον ωςπερ αλγοῦντι θυμῷ και φλεγμαι-*
» *νοντι θεραπειαν και αναπληρωσιν προσφερειν*, congruit quidem
» ei naturae, quam homo cum bestiis habet communem; est
» enim ira, ut in bestiis, ita in homine *ζεσις περικαρδιȣ*
» *αιματος δὶ ορεξιν αντιλυπησεως*, ut recte definit Estrasius,
» *fervor sanguinis circa cor ob appetitum reponendi doloris*: qui
» appetitus adeo per se caret ratione, ut saepe feratur in
» ea, quae non laeserunt, ut in foetus ferae quae laesit, aut
» in sensu carentia, ut in lapidem, quo ictus est canis. At
» talis appetitus in se spectatus non convenit parti rationali,
» cujus est imperare affectibus: ac proinde nec juri naturae;

» quia id est dictatum naturae rationalis, qua talis est: di-
» ctat autem ratio homini nihil agendum quo noceatur ho-
» mini alteri, nisi id bonum aliquod habeat propositum. In
» solo autem inimici dolore, ita nude spectato, nullum est
» bonum, nisi falsum et imaginarium . . . Atque hoc sensu
» ultionem improbant in hominibus non christiani modo
» doctores, sed et philosophi, ut Seneca (Lib. de Ira c. 32.)
» *inhumanum verbum est, et quidem pro justo receptum, ultio,*
» *et a contumelia non differt nisi ordine. Qui dolorem regerit,*
» *tantum excusatius peccat.* Imo si Maximo Tyrio credimus
» ο τιμωρῶν του πρoϋπαρξαντες αδικωτερος, *iniquior est qui se*
» *ulciscitur eo qui prior nocuit.* Musonius *id, ait, cogitare quo-*
» *modo quis remordeat mordentem, et nocenti noceat, ferae est,*
» *non hominis* » (Grotius loc. cit. §. VI.)

Sicut autem hujusmodi ulciscendi libido ex odio inimicitiae concepta et in malum illius, de quo vindictam sumit, directe intendens charitati, justitiaeque repugnat; ita e converso si ulciscentis animus ex bono principio moveatur, ad bonum finem tendat, et mediis ad eumdem proportionatis utatur, tunc procul dubio recta, et ab ipsa naturae lege sancita criminis vindicatio censenda est. Ex bono inquam *principio*, scilicet ex odio abominationis, de quo superius egimus: non modo enim rectum, sed omnino viri boni officium est, criminum detestatio, et injuriarum illatarum reprobatio; qui enim justitiam diligit, eum necesse est justitiae violatores abominari.

Porro haec naturalis et honesta animi indignatio, nisi impotenti libidine vitietur, per se recta deducit in bonum finem, ad quem pervenitur per poenam peccantis. (Vide integrum a. 1. D. Thomae 2. 2. q. 108. et a. 4.) Jamvero optimum in puniendo propositum ac finis est, cum poena infligitur, ut ait Plato, σωφρονιστυος ενεκα *resipiscentiae causa,* et Paulus IC, *in emendationem rei.* Enim vero aequitas justitiae in primis exigit, ut qui peccando nimis sequutus est

suam voluntatem, is aliquid contra suam voluntatem patiatur. Atque ita poena erit ut inquit Plutarchus ιατρεια ψυχης *animi medicatrix*, scilicet sanativa peccati praeteriti atque etiam praeservativa a peccato futuro: primum enim hoc efficit medicinalis poena, ut eum qui lacesserit injuriae suae poeniteat, tum eum reddit meliorem, ne quid tale posthac committat. « Nam quia omnis actio, praesertim vero deliberata ac frequens » quamdam gignit sui proclivitatem, quae adulta abitus di- » citur, ideo vitiis quamprimum fieri potest adimenda est » illecebra, quod fieri rectius nequit, quam si dolore quo- » dam subseqnente saporem amittat dulcedinis. Platonici, » recitante Apnlejo: *gravius et acerbius est omni supplicio, si* » *noxio impunitas differatur, nec hominum interim animad-* » *versione plectatur*. Apud Tacitum est: *corruptus simul et* » *corruptor aeger et flagrans animus haud levioribus remediis* » *restinguendus est quam libidinibus ardescit* ». Haec autem poenae acerbitas et promptitudo, medicorum more qui aegrotum sno ipsius bono urunt et secant, animi morbis opportune inflicta hoc etiam habet utilititatis, ut sit *exemplaris*, quatenus alterins damno eruditi ceteri sint ad injuriam tardiores, et reipublicae securitati consulatur. Triplex igitur est, ut recte ait Seneca (De Clement. l. 1, c. 22.) injuriae vindicandae ratio « aut ut eum quem punit emendet; aut » ut poena ejus ceteros meliores reddat; aut ut sublatis ma- » lis, ceteri securiores vivant ».

Non solum autem necesse est, ut qni ad puniendum accedit odio abominationis ac jnstitiae amore sit animatns, atque optimum sibi finem proponat; vernm multa quoque sapientia et prudentia requiritnr ut aeqna criminibus punitio rependatur.

. . . . *Adsit*
Regula, peccatis quae poenas irroget aequas:
Ne scutica dignum horribili sectere flagello;

eaqne juxta temporum et locorum rationem, jnxta personarum indolem ac mores sapienter accomodanda est.

Quae cum ita sint; si res *per se* consideretur, scilicet non attendendo ad circumstantias, quae per accidens ultionem imprudentem, aut iniquam reddere possent, et seponendo positiva instituta ac leges sive humanas, sive divinas, quae privatam vindictam vetent, utpote quae supremae potestatis jurisdictioni in civili statu reservata est; recte concludi debet, injuriarum vindicationem, hac ratione et ordine servato, cuique indiscrimatim licere, et lege naturae concedi. Neque omnino necesse est, ut quidam falso putant, ut ad injurias rite ulciscendas inesse debeat in persona, quae vindicationem exerceat, jurisdictio, et non nisi in sibi subditos quisquam animadvertere jure possit. Actus enim vindicationis ad utilitatem ejus qui peccavit, ad aliorum exemplum ne similia faciant, et ad sui ceterorumque securitatem intendens, aequitatem naturalem nullimode perturbat, imo eam ab iniquis violatam restituit ac tuetur: quare ad poenam sontibus infligendam necessarius omnino non est superior jurisdictione praeditus. Quod aperte confirmatur jure bellico; *legitima enim ea bella sunt quae ulciscuntur injurias*, quemadmodum rectissime ait Augustinus. Principes autem et respublicae bella invicem gerentes aequali inter se jure vivunt; neque ulla civitas, aut imperium alteri jurisdictione praestat.

Ceterum cum homo natura sua pronus sit ad iram, quae facillime in furorem et inimicitiae odium prolabitur: cumque facti inquisitio multam diligentiam in omnibus circumstantiis perpendendis, et poenae aestimatio multum prudentiae desideret, concludendum est; quod, exceptis levioribus illis poenis, quae nonnisi ab amore infliguntur, sicut pater in filios, tutor ac magister in pupillos et discipulos animadvertit; in ceteris autem privata ultio non in bonum, sed in perniciem plerumque vergeret. Quare factum est, ut in civili statu, in quem natura duce homines consociantur, omnis criminum animadversio principi Potestati reservata sit: illius enim jus est leges ferre, ac sancire; eosque deligere quos

optimos et prudentissimos noverit, qui sine partium studio de criminibus judicium ferant; ac publica auctoritate id agant, quod ad improborum emendationem, ceterorumque securitatem expedire judicaverint. « Idcirco judiciorum ri» gor, jurisque publici tutela in medio constituta; ne quis» quam sibi ipsi permittere valeat ultionem. » (Imperatores Honorius et Theodosius L. Nulli c. de Judaeis.

Quaeret fortasse quispiam, utrum in civili statu, in quo vindicationis jus Principi reservatum est, liceat nec ne ei qui injuria ac damno affectus sit, magistratum adire, et criminis ultionem efflagitare? Huic interrogationi cum distinctione respondendum est, scilicet: si res in *abstracto* et per se consideretur, procul dubio id unicuique licet, cum ex demonstratis odium abominationis, et violatae justitiae reparandae studium rationi sit consentaneum. Attamen *in concreto*, nisi gravissima ratio odium inimicitiae remotum faciat (veluti cum ex facinorosi impunitate grave reipublicae damnum timeatur, aut nostrae securitati consulere oporteat, aut damna nobis illata eaque gravia compensanda sint); rectissime monent sapientes, ut, qui laesus est, passive se habeat; et Magistratuum prudentiae ac vigilantiae totum hoc negotium relinquat: quia vix in facto contingit, ut qui inimici sui poenam, praesertim si acerba sit uti mutilatio, et mors, a magistratibus efflagitat, is amore potius justitiae, quam ulciscendi libidine moveatur.

ARTICULUS II.

De injuriarum compensatione.

Amplissimam de injuriarum reparatione summique momenti materiam videre est apud theologos catholicos, qui hac in re, sicut in ceteris moralitatis partibus usui accommodandis (ut praeclare fatetur Baco. De Augmentis lib. 7. sub initium), antiquos omnes philosophos, quos etsi in do-

ctrina de *exemplari* insigniter excolenda mirabiles se viros praestitisse reperiamus, longo tamen post se intervallo reliquerunt. Nos autem pro instituto nostro praecipua tantum ac generalia criteria, quibus in usu vitae facilius ab erroribus caveamus, hoc loco dabimus.

Poena medicinalis et exemplaris pro criminibus aequa lance et opportune inflicta multum quidem valet ad mentis sanitatem revocandam, et ad novas injurias impediendas: justitiae autem debitum plene non solvit, nisi qui alienas proprietates et jura quacunque ex parte laeserit, in pristinam integritatem, quoad fieri possit, restituat. Enimvero *jura cujusque praestato integra; neminem laede; si laeseris redde et restitue cuique quod suum est*, sunt totidem decreta unius ejusdemque legis, quae jura cuique tribuit, et sarta, tectaque esse sancit. Itaque laesionum *reparatio seu restitutio est actus justitiae quo compensatur damnum alteri inique illatum*, ita ut non quaevis laesio alterius, sed ea tantum quae sit contra justitiam, in qua proprie injuria consistit, obligationem restituendi importet.

Quare si quis sine ulla nocendi cognitione et voluntate damnum alteri forte intulerit, non ipse culpandus, neque id ei tribuendum est, sed rerum naturalium legi et collisioni, quemadmodum esset fortuita hominis occisio, incendium ex defectu advertentiae indebitae seu ex mero casu excitatum et similia, quam ad rem ait Aristoteles (L. 1. Moral. c. 10). *Si aliquid eveniat praeter id quod expectari potuit erit infortunium.* Aliquando etiam accidit, ut damna alteri obventura praevideantur, neque tamen qui ea actione sua physica infert, ullo modo iniquus sit, nec ulli restitutionis legi subjectus, quod contingit in actionibus illis jure peractis, quae indirecte ac praeter intentionem aliis nocent, utpote sunt ea damna quae eveniunt in inculpata sui rerumque suarum defensione, vel in bellis justis gerendis, vel in ceteris collisionis casibus, de quibus alias disserui. In quibus omnibus quisque suo jure utens, quamvis praevideat, et *indirecte* inferat

alteri damnum, non id tamen compensare, et reparare debet. Si enim in hisce adjunctis naturae lex jus mihi tribuit ad ea peragenda, consequens est, ut permittat damna, quae ex rerum eventu contingunt: quare non equidem ipse proprie sum causa illorum effectuum, sed vel naturae cursus, vel casus, vel eorum iniquitas, qui me in eam impulerunt necessitatem et angustiam, unde sine alterius detrimento evadere nequeam.

Praeter haec damna vel ex mero casu, vel sine ulla directa nocendi voluntate illata, alia quoque sunt, in quibus quamquam agentis vel negligentis culpa et malitia intercesserit, nulla tamen restitutionis et compensationis lege tenetur. Id autem duplici de causa contingit vel ex defectu charitatis, vel interposito actu humano per se quidem injusto, sed ad injuriam revera inferendam inefficaci: primo enim si quis beneficentiae et humanitatis officia neglexerit, atque inde gravia detrimenta homini accidant, utpote si vicini sui domum a furibus compilari videat, et cum facile possit dominum vel milites advocare, ac furtum impedire, id facere detrectet, quamvis hic contra charitatem peccet, damna tamen a furibus illata compensare non tenetur. Quia in his officiis praetermittendis contra proprie dictam justitiam nihil committit (1), scilicet nihil ipse de aliorum juribus ac proprietatibus detrahit, sed suam operam dare, vel aliquid de suis bonis alteri impertiri crudeliter negat. Transacta ergo occasione exerceudae charitatis, ad nihil amplius tenetur. Porro neque omnis actio injusta, quamvis cum damnis proximo inflictis connexa sit, restitutionis legi subjecta est. Contingere enim potest, ut quis actu interno, vel etiam externo attamen inefficaci consentiat in alterius maleficium; is quidem contra justitiam peccat, verum cum ejus actio nullimode influat ad alterius jura revera violanda, non ipse maleficii et

(1) Aristoteles Nicom. 5. c. 4. « Contra proprie dictam justitiam » nihil committit, qui alteri non succurrit prae tenacitate » : quod positum ab Aristotele in una re transferri in permultas potest.

damni auctor et causa est, ideoque nec responsabilis effectuum. Itaque generale et adaequatum restitutionis criterium est, ut is tantummodo teneatur ad jura aliena quoad fieri possit in pristinam integritatem restituenda, qui per iniquam actionem aut omissionem ea violavit, aut ab aliis violari *inique* permiserit, uno verbo. *Sola causa moralis et efficax damni injuste et ex intentione illati restitutionis lege obligatur* (1).

Ut autem regula ista peculiaribus casibus recte applicetur, consideranda est diversa natura hujusce causae moralis, diversa natura effectuum seu maleficiorum, ac diversae circumstantiae; unde determinari possit quando in integrum, quando ex parte, quando in rei *identitate*, quando in *aequivalenti* restitutio fieri debeat: quando autem compensandi obligatio cesset.

Causa moralis potest esse *positiva*, aut *negativa*, una aut multiplex: qui actionem, aut momentum posuerit, unde noverit vel nosse debuit damnum sequuturum, is est causa *positiva* et *efficiens* damni ejusdem; qui vero aliquid omiserit ad impediendam alterius laesionem, (dummodo tamen ex aliquo pacto, vel officio, vel stipendio teneatur ex justitia obsistere injuriae ac bona alterius tueri, sicut tutor, magistratus, depositarius etc.) is causa moralis *negativa*, seu *occasionalis* appellatur. Qui enim ex officio, aut pactione, aut lege vas factus est juris alieni, si aut dolo, aut negligentia ab officio defecerit, neque obsistit, cum possit injuriae, tam est in vitio, quam ille qui intulit, et sub eadem restitutionis lege utrique tenentur.

(1) Quamquam causa physica alicujus damni, scilicet quisquis damnum intulit sine intentione mala, per se nihil compensare teneatur; fieri tamen potest ut per accidens restitutionis legi subsit: quando nempe noverit, ex alterius detrimento se suam conditionem meliorem fecisse: tunc enim ne alienis bonis ditior fiat, lex justitiae ei praescribit, ut reddat alteri quod suum est; secus enim tunc inciperet esse hujus damni auctor. Id autem intelligi non debet hoc modo, scilicet si quis occasione alterius infortunii aliunde ditescat; sed si ex bonis alterius augeatur.

Quoad multiplicem causam moralem seu *cooperatores* maleficii ita breviter ac dilucide disserit Grotius (L. 2. de jure belli et pacis c. 17.) « Tenentur praeter ipsum qui per » se . . damnum dat, alii quoque faciendo aut non faciendo: » faciendo alii primario, alii secundario: primario qui jubet, » qui consensum requisitum adhibet, qui adjuvat, qui re» ceptum praestat, aut qui alio modo in ipso crimine par» ticipat. Secundario, qui consilium dat, laudat, assentatur. » *Quid enim interest inter suasorem facti et probatorem?* ait » Cicero Philippica II.

» Non faciendo item primario aut secundario: primario, » qui cum ex jure proprie dicto debeat vetare praecepto, » aut opem ferre ei cui fit injuria, id non facit. Is Chal» daeo Paraphrastae Levit. 20. 5. . . obfirmator dicitur. Se» cundario, qui aut non dissuadet cum debeat, aut factum » reticet quod notum facere debebat. Illud autem debere in » his omnibus referimus ad jus proprium, quod justitia ex» pletrix respicit, sive illud ex lege, sive ex qualitate ex» oritur: nam si debeat ex charitatis norma, peccabit qui» dem omittendo, non tamen ad reparationem tenebitur, cu» jus origo est jus aliquod proprium . . . (1).

» Sciendum quoque hos omnes, quos diximus, ita te» neri, si vere causa fuerint damni, idest momentum attu» lerint aut ad totum damnum, aut ad partem damni. Nam » saepe accidit in agentibus vel negligentibus secundarii or» dinis, interdum etiam in quibusdam qui sunt ordinis pri» marii, ut etiam sine eorum actu aut neglectu is qui da» mnum dedit, certus fuerit id ipsum dare: quo casu illi » quos dixi non tenebuntur. Quod tamen non ita intelligen» dum est, ut si alii defuturi non fuerint, puta qui suade-

(1) Memoriae juvandae ergo omnes isti qui diversa ratione et ordine ad maleficium operam exhibent aut quoquo modo concurrunt, duobus hisce versiculis comprehenduntur.

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans

» rent aut juvarent, non teneantur qui suaserint, aut juve-
» rint, si absque ope et consilio qui dedit damnum daturus
» id non fuisset. Nam et illi alii si suasissent aut juvissent
» tenerentur.

» Tenentur autem primo loco ii qui imperio aut alio
» modo aliquem impulerunt ad factum : his deficientibus, pa-
» trator facinoris ; et post eum caeteri : in *solidum* singuli
» qui ad actum causam dederunt , si totus actus ab ipsis
» quamquam non solis processit ».

Ceterum si quis ex cooperatoribus damni partem tantum intenderit, non tenetur nisi pro rata parte , dummodo certior factus de graviori damno ab aliis intentato pro viribus resistat, vel saltem ab incepto facinore recedat.

Porro ad naturam damni quod attinet, illud ad quatuor genera referri potest : etenim vel est damnum in personam ipsam utpote occisio, mutilatio, vulneratio, percussio et similia; vel est damnum spirituale, scilicet depravatio mentis et morum; vel est contra honorem et famam, puta maledictis, contumeliis, calumniis, et similibus modis; vel tandem contra bona fortunae, scilicet furando, defraudando, destruendo, rem alienam negligenter custodiendo etc. Praeterea damna cujuscumque generis sint, possunt secum ferre et producere consectaria mala et effectus perniciosos, e. g. vulneratio, aut mutilatio, aut infamia multa solent afferre incommoda ac detrimenta in bona fortunae; itemque una cum rei suae amissione dominus persaepe privatur quoque lucro et fructibus quos percipere solebat , vel inde sperare poterat. Quae omnia in aequa damni illati aestimatione considerari accurate debent.

Diversa autem jurium natura, ac diversa eorum laesio efficit, ut vel ea ipsa inique ablata bona restitui in pristinam integritatem possint, sicut si rem alienam furatus quam nondum disperdidit, eamdem domino reddat , itemque infamia et contumelia deleri omnino potest culpae confessione, exhibitione honoris, testimonio innocentiae; vel si nequeant ea-

dem ipsa jura restitui, possint tamen *aequivalenti* re compensari; uti frumentum abreptum et a fure consumptum compensari potest alio frumento, vino aut pecunia: vel tandem fieri potest ut jura violata ac perdita irreparabilia sint, quae scilicet nulla re ejusdem ordinis aestimari et compensari possint, sicut vita hominis, oculus effossus ec. Inspecta itaque diversa damni natura, tres canones statuendi sunt.

1. *Quisquis damnum in aliena jura inique intulit, is quoad fieri possit tenetur compensare cum damnum ipsum in se, tum etiam ea, quae noverit, aut nosse debuit vi actus sui consecutura.* Omnium enim damnorum hujusmodi ipse est causa moralis, ideoque ei merito imputantur, et ad integram restitutionem tenetur. Ita e. g. si quis fraudibus circumventus tandem judicis sententia agro suo privetur, ut violatae justitiae satisfaciat debet iniquus rei alienae possessor non solum agrum ipsum domino reddere, verum etiam compensare *lucrum cessans*, scilicet fructus, quos dominus percepturus erat; et *damnum emergens*, idest expensas quas fecerit ut jus suum in foro tueretur. Quoad autem lucri cessantis damna animadvertendum est, quod si res aliena revera fructus fecerit, aut quoquo modo ejus valor creverit, domino crevit, ideoque res tota cum suis effectibus secutis (deductis tamen expensis a malae fidei possessore factis) reddenda est. At si fructus rei ablatae non fuerint percepti, restitutio facienda tantum est pro quantitate *juris et spei*, attentis circumstantiis et probabilitatis gradibus; spem enim legitimi domini multi casus frustrari possent: quapropter ait Grotius *spes lucri ex nostro aestimabitur, non ut illud ipsum, sed secundum propinquitatem ad actum, ut in semente spes messis.*

2. *Si jus alienum inique depravatum ac perditum in suam integritatem restitui nequeat, debet in aequivalenti compensari.* Cum enim res omnes et operae, quae in commercio sunt, juxta hominum aestimationem aliis rebus et operis aequiparentur et commutentur, ac praesertim pecunia, quae est communis earum mensura: hinc si res aliena eadem reddi ac re-

parari nequeat, per hanc rerum aequalium permutationem recte compensari potest ac debet.

3. *Si jus alienum inique violatum neque in se neque in re aequivalenti restitui possit; nemo tenetur ex rigore justitiae pro bonis altioris ordinis, aut pecuniam aut alia inferioris ordinis bona praebere, nisi quatenus haec valere possint tamquam media ad bona illa recuperanda, vel ad compensanda damna inde sequuta.* Veluti iniquus occisor, aut mutilator, aut alienae famae detractor tenetur ex justitia operam et pecuniam dare ad valetudinem ac bonum nomen restituendum, itemque omnia damna compensare, quae et ipsi vulnerato, mutilato, vel iis quos ex officio is alere solebat, puta parentibus, uxori, liberis ex illata injuria sequuta sunt: pro membro autem ablato, pro dolore, ec. nihil dare tenetur. Quamquam enim nonnulli doctores hac de re aliter sentire videantur; tamen eorum sententia, de subministranda e. g. pecunia ei qui vel membro imminutus, vel oculo orbatus, vel quovis irreparabili damno affectus sit, nonnisi de *consilio* et de quadam aequitate, seu charitate probari potest, nunquam vero de obligatione ex justitia. Id enim ex jure *positivo*, et naturali omnino refutatur. In Exodo 21. 19. namque habetur, quod sanato *vulnere*, « percussor erit *innocens*, ita tamen, ut operas ejus » et impensas in medicos restituat ». Itemque Textus l. ult. *de his qui dejecerunt.* dicit « Cum liberi hominis corpus ... » laesum fuerit: judex computet mercedes medicis praesti- » tas, ceteraque impendia, quae in curatione facta sunt: » praeterea operas quibus caruit, et cariturus est ob id, » quod inutilis factus est: cicatricum autem et deformitatis » nulla fit aestimatio, quia liberum corpus nullam recipit » aestimationem ». Haec autem juri naturali apprime conformia sunt, ut enim recte disserit S. Alphonsus De Ligorio, justitia commutativa obligat ad restituendum juxta aequalitatem damni illati, ubi autem restitutio facienda sit in genere diverso, nulla adest aequalitas, nec ulla erit unquam compensatio damni: per quamcumque enim pecuniam damnum

minime reparabitur, neque in toto, neque in parte. Haec igitur crimina vel lacrymis et poenitentia expianda sunt, vel talionis legi, aut Dei ultioni reservanda.

Rationes, quae ab onere restitutionis et compensationis liberant, vel eam jure differri in aliud tempus permittunt, duplicis generis sunt, scilicet *impotentia* restituendi, et *libera creditoris voluntas*, sive expressa sive rationabili de causa praesumpta, juri suo cedentis. Cum enim nemo teneatur ad impossibile, si vera habeatur impotentia reparandi damna, et jura in suam integritatem restituendi eaque sit perpetua, procul dubio omnis obligatio solvitur: sin autem impotentia sit ad tempus, tamdiu restituendi obligatio differtur, quamdiu eadem perseverat, qua remota, statim obligatio vim suam habebit. Impotentia autem hujusmodi constituitur vel ex natura damni illati, quod nulla ratione reparari queat, ut superius dixi; vel ex conditione debitoris qui non sit solvendo, et compensando par; vel quia (si de bonis fortunae agatur) prorsus ignoretur dominus, cui jus suum reddatur. Hoc autem in casu distinguendus est *possessor bonae fidei* ab iniquo rei alienae possessore. Si enim possessor bonae fidei sis, retinere et servare bona aliena debes tamquam depositarius, quoad spes habeatur inveniendi dominum. At si adhibitis diligentiis debitis, nusquam dominus inveniri posse prudenter credatur, jure poteris eadem tua facere: tunc enim bona illa in communione universali constituta censeri merito debent, et fiunt propria primi occupantis. Possessor autem malae fidei nullum jus acquirit res alienas inique usurpatas sibi attribuendi; nemini enim crimina prodesse debent.

Dein vero restituendi debitum solvit, vel in aliud tempus reservat rationalis et libera creditoris voluntas. Si enim qui damnum passus est prudens et sciens juri suo cedat, dummodo facultatem de eo disponendi, et alienandi habeat, tum vi *donationis* omnis compensandi obligatio solvitur. Quod si hoc valet, quando sine ulla coactione, aut fraude, sponte

et scienter creditor debitum dimittit; id valere etiam debet, quando eae circumstantiae concurrant, quae faciunt, ut is rationabiliter debeat esse contentus, etsi revera non sit contentus. Id autem accidit in casu collisionis quando nempe damni illati restitutio minoris momenti est quam jus et obligatio alia, quae servari nequeat, quin illa praetermittatur: tunc enim lex ipsa naturae vel absolute et per se, vel a positiva lege declarata et determinata, jubet creditorem sui juris compensationem aut relaxare aut in aliud tempus differre. Si enim, puta, hic et nunc restitutio ipsi creditori vel aliis perniciosa foret; vel debitori periculum immineret peccandi, amittendi vitam, aut famam; vel restitutio gravissimo detrimento esset statui debitoris, dum compensationis defectus damnum leve creditori afferret; tunc sensim aut opportuniore tempore loco, et ratione debitum solvatur: hoc enim in casu utrumque lex tuetur, unum in ipso necessitatis articulo, aliud necessitate et conflictu transacto.

SECTIO SECUNDA

DE JUSTITIAE OFFICIIS AC JURIBUS HYPOTHETICIS.

CAPUT I.

DE DOMINIO.

Jura hominis *perfecta*, quibus respondent officia justitiae, ut superius dictum est, alia in ipsa hominis natura ingenerata sunt, alia sunt ea quae nascuntur ex factis legitimis, scilicet naturae lege probatis, et adsertis. Primum autem jus homini acquisitum, ad quod reliqua fere omnia hypothetica jura facile reduci possunt, est *dominium* seu *proprietas individua;* cujus recta notio accurate definienda est, ut et na-

turam ejus, et legitimitatem, utilitatemque, et varios dominii acquirendi modos ac rationes facilius et sine errandi formidine demonstrare possimus. Itaque ut rem a sua origine inspiciamus, animadvertendum est, quae in terris gignuntur, et sunt, ad usum hominum omnia a Deo creata esse: a mundi exordio, ut loquitur Justinus (l. 43.), *erant omnia communia, veluti unum cunctis patrimonium esset:* ergo ex prima rerum constitutione omnes jus habent *ingenitum* iis utendi tamquam mediis suae cujusque conservationi, et utilitati necessariis; de quo nemo sane dubitaverit. Itaque juris cum naturalis tum civilis periti res in triplici statu considerari posse ajunt, 1. in statu *communionis universalis* seu *negativae*, et haec est primaeva rerum conditio, quando nempe omnium hominum usui praeparatae sunt, ad quas jus omnes habent indeterminatum concurrendi, jus autem ceteros excludendi penes neminem est: 2. sin autem jus utendi *certis* rebus, et ceteros earum usu excludendi penes familiam, aut societatem quamdam hominum tantum sit, tunc res in *communione particulari et positiva* constitutae dicuntur: 3. tandem in *proprietate individua*, ac *dominio* positae sunt res illae, quibus utendi jus simul cum jure ceteros excludendi penes unam personam est. Quapropter definiri debet *dominium jus perfectum per actus legitimos acquisitum excludendi ceteros quibusdam rebus, iisque utendi et disponendi arbitrio proprio*. Itaque dominium rerum probe distinguendum est ab earumdem *possessione*. Quamquam enim jus res suas possidendi sit dominio ipsi essentiale (1); tamen *possessio* per se res est po-

(1) Tria distincta jura dominio intrinseca et necessaria esse docent Jurisconsulti Romani, jus nempe res suas *possidendi*, jus de iis *libere disponendi*, adeo ut quisque, nullo obsistente, immutare, retinere, consumere, alienare etc. possit, uno verbo ea omnia agere, quae vitae suae commoditati magis expedire videantur; tertio tandem jus *vindicandi* seu repetendi res suas, si forte, se invito aut inscio, in alienas manus transierint. Hisce enim tribus juribus sublatis, jus quoque privatim utendi et disponendi rebus suis, in quo dominii natura posita est, inefficax, et nullum omnino fieret. Ceterum animadvertendum est, jus libere disponendi in civili societate quibusdam limitibus aliquando circumscri-

tius facti quam juris, in facultate physica utendi fruend rebus suis posita. Cum enim dominium sit jus utendi fruendique rebus et fructibus industriae suae, ceteris exclusis; *possessio* autem *est actualis rerum occupatio et frugum perceptio, vel usus rei suae, quem dominus per se vel per alios exerceat, aut exercere ex sententia nullo obstaculo intercedente, potest.* Quare possessio *legitima* unius domini propria est, quae quidem amitti, salvo dominio et jure possidendi potest, veluti agri inundati, vel rei amissae aut vi seu dolo ablatae possessio amittitur, dominium et jus possidendi retinetur, quod non amittitur, nisi ex domini expressa, aut legitime praesumpta voluntate. Ceterum multa sunt privilegia, quae actualem rerum possessionem comitantur. Ratio enim facti praesumptionem parit juris; scilicet qui rem tamquam suam pacifice possidet, penes eum jus dominii esse recte praesumitur. Quare: I. possessor in judicium accersitus non tenetur suae possessionis legitimitatem demonstrare; sed actori, qui eam inficiari vult, onus probandi incumbit: qui quamvis pro sua parte rationes valde probabiles afferat, nisi tamen certe evidenterque id demonstraverit, firmum, statutumque est, *in dubiis meliorem esse conditionem possidentis; possessoremque non esse inquietandum.* II. Si quis non rationibus, sed vi quemdam de sua possessione exturbare conetur, huic, si possessor *bonae fidei* sit, *vim vi repellere licet cum moderamine inculpatae tutelae.* III. Sin autem sive aperta vi, sive clam quispiam rerum possessione spoliatus sit, atque occupator jus suum tueri velit, sapientissime juxta naturalis juris nor-

bi: « non est (autem) argumentum (ait Seneca de benef. 12.) ideo ali- » quid tuum non esse, quia vendere non potes, quia consumere, quia » mutare in deterius aut melius. Tuum enim est etiam quod sub certa » lege tuum est » Itemque jus *vindicationis* civibus non aufertur, quia ejusdem usus, quo rectius et efficacius ad privatam publicamque utilitatem ordinetur, Principis et magistratuum auctoritati est reservatum. Etenim homo, e naturae statu in civilem cooptatus, est veluti saxum informe ac rude e monte avulsum, a quo multa superflua demere, secare, perpolire, et ad certam formam illud redigere oportet, ut cum reliquis aedificii politici partibus apte ac solide componi possit.

mam sancitum est, restitutionem spoliati ante omnia fieri debere, et tunc si aliquid proponere velit, audiri posse (*C. In literis et seq. de restitut. spoliat.*) IV. Tandem et aliud possessionis privilegium ex *praescriptionis*, et *usucapionis* lege habetur, de qua mox disseremus.

Declarata, et circumscripta dominii natura una cum juribus eidem essentialibus, tria pertractanda occurrunt; scilicet primo de dominii aequitate, tum de ejus utilitate, denique de variis acquirendae proprietatis modis disserendum est.

ARTICULUS I.

De dominii jure.

Duae potissimum sunt opiniones falsae, eaeque inter se prorsus contrariae quoad dominii jus, altera Hobbesii, altera Joannis Jacobi Rousseau. Ille enim in suo systemate de naturali hominum statu, quod in primo tractatu exposuimus et refutavimus, asserit omnes homines natura sua jus habere in omnia telluris bona, scilicet unumquemque jus habere excludendi ceteros usu quarumcumque rerum, iisque arbitrio suo utendi, uno verbo unicuique jus *dominii universalis* naturae suae conditione ac lege concessum esse. Alter vero de eodem naturae statu disserens (Vide Tr. Gen. P. I. Sect. II. C. I.) originem inaequalitatis inter homines a dominiorum institutione praecipue repetendam esse ait, quae non a natura, sed ab hominum aviditate et usurpatione esse censet; homines enim dicit perfecta inter se aequalitate, et *in communione* bonorum *universali ac negativa*, ut unum singulis commune et indivisum patrimonium esset, natura sua conditos et constitutos fuisse.

Huic Genevensis philosophi opinioni Puffendorfius aliique valde suffragantur, dum incaute asserunt (ut perspecte Lampredius adnotavit I. P. U. p. I. c. 8. §. 1, 2.) ridiculum esse inquirere, utrum dominium a natura rerum, an po-

tins ab institutione repetendnm sit: id autem ideo docuerunt, qnod factum ab jure non probe distinxerint: aliud est enim jus rernm acquirendarnm, aliud est actus et ratio qua easdem revera acquirimus: aliud est *dominium* et *jus possidendi* quasdam res per actns legitimos determinatum, aliud est actualis rerum possessio et usus. Neqne inutilis, aut longius accersita disquisitio est, ut hujusmodi philosophi censent, si examen ordiamur a primaeva rerum origine et statu hominis natnrali: secus enim neque absnrda Hobbesii, et Rousseau systemata refutari poterunt, neque dominii aequitas fas erit demonstrari: unde cetera privatorum jnra hypothetica derivantur, et omnis legnm civilinm ratio, celebriorumque inter gentes controversiarum dijudicatio pendet. Quare contra hosce omnes thesim hanc defendendam propono.

Jus acquirendi et conservandi quarumdam rerum dominium proprium ex naturali sua conditione homini competit.

Antequam vero rem penitus examinemus, juvat imprimis animadvertere, omnibus semper ubique terrarum jus dominii certum exploratumque fuisse: « hinc discretae gentes » (ut loquitur Florentinus), regna condita, dominia distin» cta, agris termini positi, aedificia collocata, commercium, » emptiones, venditiones, obligationes institutae ». Neque in civilibus tantummodo populis, sed in nomadibus quoque, qui erraticam in tentoriis et sub dio vitam tradncunt, pastoritiam, aut venaticam, aut piscatoriam exercentes, manifestissime apparet: ii enim in instrumenta artis suae, in praedam, in vestes, tentoria ceteraque omnia, quae industria sua sibi compararerint, jus proprietatis, quae sine iniquitate violari non possit, se habere firmissime tenent; sua haec omnia esse ajnnt, et permntationibus mercinm utuntur, quas multo magis firmas et ratas habent, quam qui contractus apud nos mille cautionibus, stipulationibus, obligationum tabulis, aliisque juris nodis et catenis devinciuntur. Jns igitur proprietatis individuae seu dominii in ea omnia, quae, sine aliorum supplantatione et injuria, industria sua sibi adlegerint

et comparaverint, eadem prorsus ratione omnes homines senserunt ac sentiunt, qua vitae ipsius conservandae jus sentiunt: quam constantem et perpetuam omnium persuasionem nonnisi a natura repeti posse certum est.

Quod autem naturae sensu et judicio omnes etiam rudiores norunt ac tenent, id rationis principiis evidentissime confirmatur. Ex naturali enim sua conditione homini competit jus in ea omnia (citra tamen alterius laesionem), quae necessaria et opportuna sunt cum ad vitae conservationem commoditatemque, tum etiam ad animi culturam: atqui in praesenti rerum statu jus quarumdam rerum (quae nequeant pluribus simul sufficere) acquirendi et conservandi dominium proprium, non solum peropportunum, sed omnino necessarium est ad utramque rem efficiendam. Et sane quoad vitam in primis dico. Ut homo sit, et bene sit, necessarius omnino est usus quorumdam terrestrium bonorum, herbarum nempe, frugum, animalium, aliarumque rerum generis ejusdem; ut autem haec, quae sunt finiti circumscriptique usus, indigentiae nostrae accommodemus, necesse est eadem occupare, et adhibere, ceteris remotis: jus igitur ad vitam necessario comprehendit jus excludendi ceteros usu quarumdam rerum, iisque utendi arbitrio proprio, in quo dominium consistit; quod si valet hodie, valebit etiam cras, et ita porro quousque perdurabit vita nostra, et eorum, quibus vel ex justitia vel ex charitate consulere debeamus aut studeamus: haec autem bona praesentibus et futuris indigentiis necessaria sive paulatim et successive pro opportunitate, et praesenti indigentia apprehendamus, sive simul adlegamus, praeparemus et conservemus ut prudenter in posterum prospiciamus, id certe rei substantiam idest dominii rationem non immutat. Quin etiam inspecta terrarum natura, aeris et temporum vicissitudinibus, hominum multitudine in immensum aucta, eorumque varia indole, concludi omnino debet, quod, nisi excolerentur agri, et piscationi, venationi, curae animalium, ceterisque artibus sedulo homines dent operam, ut

ea parent quae ad victum, cultumque corporis vitaeque curam pertinent, vel miserrime viverent, vel brevi perirent. *Qui congregat in messe filius sapiens est, qui autem stertit aestate filius confusionis* (Prov. X. 5). Ex jure autem singulari in industriae fructus sibi habendos, conservandos, et ex sententia adhibendos, ut recte ait laudatus Lampredius, ortum ducit et aliud in fundum ipsum, quem labore proprio quis coluit, ut certo tempore fructus ferat: nisi enim quis habeat jus compellendi ceteros, ne culturam agri corrumpant, nullum est jus singulare a natura concessum in industriae fructus. En quo pacto ab ipsa hominis natura et *ususfructus*, et *dominium plenum* originem ducat, quod nempe praeter utilitatem, conjunctam habet potestatem disponendi de ipsa fundi substantia. Quapropter ratio potissima quae dominii aequitatem sancit in omnibus suis gradibus sive quoad praesentem usum, sive quoad permanentem proprietatem in industriae suae fructus, et in ipsum fundum, ex eo deducitur, quod haec omnia sint *media* non solum opportuna, verum etiam omnino necessaria ad vitam conservandam. Quod si de vitae cura certum exploratumque est, quanto id magis de cultura animi dicendum erit? Homo enim incipit ab animali vita, tum ad rationalem et moralem procedit: nisi autem prius physicis indigentiis satisfecerit, nec tempus, nec animus, nec media ei suppetunt, quibus animum excolere possit, ac velit: si ergo primis vitae necessitatibus more belluarum consulere deberemus, nulla foret animi cultura: cujus rei evidens exemplum sunt miserrimi illi errantesque homines qui in sylvis non admodum a feris discrepantes vitam traducunt. Cum vero media sibi prompta parataque habeant homines, quibus secure consulere suae vitae necessitati et commodo possint, tunc et bonae artes, et scientiae, et morum disciplina, et religio florescit.

Praeterea alia quoque validissima ratio huc accedit, quae proprietatis singularis jus aperte confirmat: etenim instrumenta artis quae industria nostra condidimus, animalia quae

piscatione, aucupio, venatione cepimus, greges quos pavimus, fruges, frumentum, poma nostro labore comparata, agri qui ad culturam parati sunt, vel quibus inaedificata domus industria nostra, etc., novis afficiuntur modificationibus, quibus in naturae statu carebant: ratio igitur praevalens imo exclusiva, qua ceteri omnes carent, iis rebus privatim utendi, auctori suo tamquam *causae* competit.

Tamdem *ab absurdo* argumentari licet ad thesim propositam indirecte demonstrandam. Enim vero duo sibi invicem opposita systemata, quorum aliud unicuique jus proprietatis in omnia indiscriminatim telluris bona tribuit, aliud negat quodvis vel minimum jus acquirendi et conservandi quarumdam rerum dominium proprium, falsa et absurda sunt. Falsum et absurdum in primis est hobbesianum illud jus *dominii* in omnia: tum quia ex ingenito jure ad ea media acquirenda, quae suae cujusque et suorum conservationi et perfectioni conducunt, idest ex indigentia peculiari et praefinita immerito concluditur jus universale et exclusivum in ea omnia telluris bona, quae omnium hominum usui praeparata sunt: tum etiam quia cum jus hoc singulis hominibus aeque concedat Hobbius, consequens est, nulli id omnino posse convenire. Simili ratione censendum est de altera Joannis Jacobi Rousseau opinione, qui homines *in communione bonorum universali ac negativa* ex naturae suae conditione positos esse statuens, eos quolibet dominio proprietatis spoliat. Etenim aut homo de bonis in communione universali positis participare, deque iis privatim ex sententia nullo obsistente disponere potest, idque juxta indigentiam quoad vixerit; aut non: si neget; ergo nullum est jus communionis universalis, nec ullum ei jus est ad vitam: si affirmet, concedat quoque necesse est jus proprietatis individuae, scilicet jus excludendi ceteros praeter se ipsum quarumdam rerum usu, iisque utendi arbitrio proprio. Cum itaque et jus dominii in omnia, et jus in nihilum itidem falsa et absurda sint, medium te-

neamus oportet, scilicet jus dominii in aliqua ex naturali sua conditione homini competere.

Scholion I. Ceterum inter duo illa extrema latissimum intercedit spatium. Quae igitur regula, qui modus, et limites servandi sunt in rerum acquirendarum dominio? Regula naturalis aequitatis haec prima esse debet, ut nihil nobis usurpare audeamus de iis, quae alii jam industria sua sibi comparaverint, et in eorum dominio posita sint: neque de iis, quae licet in communione negativa adhuc perstent, tamen necessaria forte sint alterius vitae conservandae, nobisque superflua: qui hanc regulam violaverit, injustus habeatur. Quid autem de reliquis bonis dicendum? Quae et quanta nobis propria facere jure poterimus? Respondet praeclarissimus Genuensis (qui tamen quandoque ad matheseos calculos res morales admodum subtiliter refert) « nemini mortalium aliud jus occupandi datum esse a natura, praeter quam id, quod sibi suisque *necessarium* est, ut sint, et bene sint . . . Intellexisse id videntur veteres: siquidem quantum ex antiquis monumentis constet, terras in communi habuere, ceterarum vero rerum paucissimas in proprietate. Ea Cyclopum (pastorum videlicet) vita apud Homerum. Ceterum conditis urbibus, pactis publicis constituti sunt et descripti ordines, sine quibus nullum corpus civile constiterit. Ex inaequalitate ordinum inaequalitas fuit bonorum, ipsis consentientibus civibus . . . Verum quidquid civiles leges indulgent, lex naturalis est, ne quisquam et in civitate plus ex rebus communibus capiat, quam ordini suo *necessarium* est ». (De officiis l. 1. c. XI. §. 9. et 10. similia fusius exponit Diceos. l. 1. c. X. §. VI. et sequentibus.

Criterium hujusmodi etsi speciem veritatis praeseferat, falsum tamen et absurdum est. Eo enim confunditur *consilium* cum *praecepto*, id quod *praeter naturam* est cum eo quod est *contra naturam*, *injustitiae crimen* cum aliis peccatis et vitiis *accidentalibus*, quae plerumque reperiuntur in iis, qui

magnum studium et operam adhibent in divitiis comparandis. Philosophia quidem et Evangelium id optimum consilium esse docent, ut quisque mediocritate contentus sit: sed neque a philosophis neque ab Evangelio tamquam per se *injusta* damnatur rei suae nemini nocens amplificatio. Ratio acquirendi rerum dominium est quidem *indigentia* : ea vero est vel nostra vel aliena, scilicet non solum eorum qui naturali cognatione nobiscum copulati sunt, verum etiam eorum , quos amicitiae aut beneficentiae amore volumus aut possumus juvare : itemque indigentia haec sive nostra sive aliena esse potest tam praesens quam futura, tam quoad ea quae necessaria vel opportuna sunt ad vitae usum et commoditatem, quam quoad ea, quae status nostri conditio postulet, in quo multi dantur progressionis gradus, eosque ad civile corpus componendum vel ipse Gennensis necessarios esse fatetur. Quisque igitur ab infimo venandi aut piscandi statu ad pastoris vel agricolae conditionem jure transire potest, et ita porro usque ad supremos et amplissimos reipublicae ordines: dummodo tamen *legitime*, idest sine ullius laesione, et adhibita industria gradus istos ascendat. Cum autem amplissima quaeque conditio sollicitudinis et periculi plenissima sit; hinc qui eam adepti sunt, avaritiam, prodigalitatem, intemperantiam, superbiam ceteraque vitia, quae facillime consequuntur, studiose cavere debent, et ad aliorum inopiam sublevandam ac reipublicae commoda utilitatemque procurandam suas opes convertere. Ceterum et si avaritiae vitio laboret dives, omniumque execratione et infamia notetur, non eum *iniquum rei alienae usurpatorem* dicunt; sed vel ipsi de infima plebe homines, quam avarus, clamant, quam immanis, quam sordidus *dominus* ille est. Cur ita ? Quia vitia haec non arguunt illegitimam rerum proprietatem sed angusti et immisericordis animi vitium ac irrationalem rerum suarum usum. Ille autem tantum injustus rerum possessor est qui in iis apprehendendis vel retinendis aliorum jura *perfecta* laedit. Jamvero quisquis industria sua vel ea acquirit quae adhuc in nullius proprietate sunt, vel per aequas commer-

cii leges suum peculium in dies auget, is nullius jura perfecta laedit: non igitur injustus rei alienae possessor dicendus est. Non equidem haec disserui quasi *philochrematiae* landator sim: nihil enim magis sordidum ac virtuti magis inimicum esse puto, quam toto animo in divitiis undique congerendis et amplificandis inhaerere. Haec tantummodo dicta sint ad hujus criterii falsitatem revincendam, quod et communi hominum sensui, et verae notioni justitiae repugnat: et maxima absurda reipublicae perniciosa produceret. Quia dominia rerum forent semper incerta tam divitum, quam ceterorum omnium, qui cum divitibus commercia agerent. Nulli enim forent contractus omnes, si divites isti rerum suarum domini non sint.

Scholion II. Notanda hic est non admodum recta multorum sententia, qui putant jus dominii ex dispensatione legis naturalis, quae antea proprietatem singularem vetabat, ortum duxisse. En e. g. Heineccii verba (Elementa I. N. et G. l. I. c. 9. §§. 233. 234.) « Cum Deus omnia, quae » ad conservandam suaviterque transigendam vitam huma- » nam pertinent, utenda fruendaque dederit hominibus: pro- » cul dubio etiam voluit, ut nullus earum usu excluderetur: » adeoque ex intentione Dei initio rerum omnia in nega- » tiva communione, adeoque vere in nullius dominio fue- » runt constituta. Quod ipse Deus voluit, id voluit sapien- » tissime, ac proinde illud sine summa necessitate mutari » ab hominibus non debuit. Cum vero et leges divinae af- » firmativae, qualis est illa ut res omnes creatae velut in » medio positae omnium usibus paterent, exceptionem ob » necessitatem admittant . . . . consequens est, ut urgente » necessitate, homines a negativa illa communione discede- » re, adeoque dominium, quod communioni illi opponitur, » introducere omnino potuerint ». Res autem (ut mihi quidem videtur) ita rectius se habet. Deus telluris bona creavit, non ut in negativo statu essent, ac nemini ea attingere fas esset; sed ad usum hominum omnia constituit, ac vo-

luit, ut singuli partem bonorum privatim acciperent, iisque uterentur ea ratione quae opportunior esset cujusque conservationi sine aliorum detrimento. Opportunior autem utendi ratio ex variis temporum, locorum et personarum circumstantiis dignoscitur; ita ut si res in primaevo innocentiae et abundantiae statu permansissent, forsitan opportuna non fuisset dominii *permanentis* ac *pleni* institutio. Quamquam ne supremus hic dominii gradus mihi videtur naturae legi omnino contrarius: quisque enim et aureo, ut ita dicam, saeculo jure poterat ad vitae suae usum ad commoditatem et oblectamentum quaedam sibi propria facere, instrumenta et machinas construere, terrae partem amoeniorem seligere, eamque excolere plantis, arboribus, animalibus quae sibi magis placerent refertam. Sequioribus vero aetatibus, cum dominium permanens et plenum necessarium omnino fuerit, quin ad dispensationem suppositae primitivae legis recurramus, concludendum est, in praesentiarum dominium hoc, ne dum permittente vel suadente, sed et jubente natura introductum. Verum quidem est, quod ait Heineccius, initio rerum a natura non fuisse constituta dominia, quae nonnisi ex facto legitimo hominis, idest adhibita acquirentis industria determinantur (1). Attamen a natura jus eadem acquirendi vel ab initio omnibus datum est, quia omnibus, vel ab initio jus vivendi et bene beateque vivendi datum est.

ARTICULUS II.

De dominii utilitate.

Demonstrata *proprietatis individuae* seu dominii aequitate ac jure, non abs re erit nonnulla dicere de percelebri illa politicorum disquisitione, utrum nempe in civili statu

(1) « Sunt autem privata nulla natura, sed aut veteri occupatione, » ut qui quondam in vacua venerunt, aut victoria, ut qui bello potiti » sunt, aut lege, pactione, conditione sorte ». Cicero de off. I. c. 7.

expediat uninscujusque arbitrio relinquere jus acquirendi et amplificandi dominia, an magis conveniat, ut qni reipnblicae praesunt, divitum ac praepotentium aviditati modum imponant, atque indigentiae multitudinis consulant. Optimum factu veteribus nonnullis politicis visum est, si cives omnes ad fraternam quasi aequalitatem reducerentur, ut omnes civitatis partes in aequilibrio consisterent: idque sub finem elapsi saeculi in teterrimo reipublicae gallicanae vortice undique fanatico furore expetitum et proclamatum novimus, atque haec etiamnum in Sansimonianorum secta insidiose serpit opinio. Itaque duplex dominiornm temperatio cum a veteribus tum a recentioribus excogitata est; aut ut, permissa singulari quarumdam rernm proprietate, sua cuique aequa lance portio tribueretur, quemadmodum Licurgum in Lacedaemoniorum civitate fecisse accepimus; aut ut ex omnibus civibus tamquam una familia conderetur, in qua unum cunctis atque indivisum patrimoninm curae esset; et in *positiva bonorum communione* viverent, sicut Plato in sua republica sanxit.

Haec specie quidem pulcherrima ac perbeata rerum aequalitas et communio in imaginario philosophorum regno locum habere fortasse poterit, aut in quadam perexigua proborum hominum societate sub prudentissimis moderatoribus constituta (1); in hac vero omnigena hominum congerie absurda prorsus et inutilis cuilibet sanae mentis politico censenda est. Enim vero utraque haec rerum temperatio inprimis generali ac perenni aetatum omnium, omninmque populornm facto et ingenio repugnans est: ut enim superius inquiebam, ubiqne gentium dominia instituta et studiosissime custodita sunt: experientia autem comprobatum est, progressum culturae in populis semper cum meliori dominiorum ratione convenisse, ita ut quo securior, firmior, et studiosior singularis rerum proprietas fuerit, eo magis artes, com-

(1) Utpote fuit aevo apostolico Christifidelium consociatio, aut Essenorum in Africa communio, atque alia hujusmodi.

mercium, rerum omnium abundantiam, pacis studia ac politiores disciplinas in civitatibus progredi videamus. Jamvero politicus qui non a rerum humanarum experientia, sed ex imaginationis suae penu consilia sumit, is in aere piscatur et inania captat: sin autem civilis corporis valetudini salutaris esse velit, prudentiam medicorum imitari studeat, qui posthabita *systematicorum* a priori hariolandi ratione, toti sunt in historia morborum ac remediorum, quae generali experientia utilia reperta sunt diligentissime cognoscenda, ut inde aphorismos deducant, qui peropportune usui accommodentur (Vide Genuensem. *lettera XI. Accad.*).

Quod si vel minimum rem examinemus, utriusque consilii vanitatem absurditatemque contra vero dominiorum utilitatem facile perspiciemus. Quoad primum enim, ut aequa inter homines rerum partitio fiat, eaque stabilis permanere possit, in singulis necessaria foret, ut monet Aristoteles (Politicor. L. 2. a c. I. ad IV.) corporis et animi virium aequalitas, aequalitas ingenii et industriae: si enim haec disparia sint, sequeretur, ut etiamsi hodie agrorum, aliarumque rerum aequa adamussim distributio fieret, post anni tempus desidiosus aut hebes, aut mala valetudine aegrotans magna ex parte sua bona consumpserit ac dissipaverit; solers autem ac diligens et in suo negotio totus inhaerens magnopere rem suam auxerit; omnia, inquam, in quantitate et qualitate continuo immutarentur. Praeterea haec rerum aequatio non admodum difficilis esset, si res agatur de populo nullam sedem stabilem habente, qui vel in vacua venerit, vel regione quadam bello potitus sit, ibique, aequatis partibus ac praeda viritim distributa, domicilium sibi ab Imperatore assignatum quisque primum collocaret. At in populis qui rerum suarum possessores jamdiu sunt, quarum quisque amantissimus et retinentissimus est, si quis Princeps dominorum bona abscindere conaretur, ut ii (qui maximam ac praevalentem civium partem efficiunt) ad inertium et profligatorum conditionem exaequarentur, quid nisi universae

reipublicae eversionem fore censebis ? Ea igitur sunt cum physica tum moralia obstacula, quae huic rerum aequationi opponerentur, ut vix unquam superari posse putaverim. Neque dicas, Lycurgum penes Lacedaemonios rerum partitionem effecisse : id enim contigit in populo arctis limitibus circumscripto, ac militari vitae addicto, ubi non adeo magna intererat proprietatum differentia: iique nonnisi summa Licurgi prudentia, et animo (qui tamen, ut a Plutarco accepimus, semper in vitae discrimine versatus est) in eo statu contineri aliquanto potuere.

At enim quaero : si haec rerum aequatio fieri posset, expedirent ne ? *Ex quibus unum fieri oportet, specie differunt,* ait Aristoteles. Sicut ergo diversae voces et soni requiruntur in musica, varius numerus et quantitas in carminibus, varia lapidum moles et conformatio ad aedificium extruendum, varia in corporis humani compage congruunt membra; ita diversi civium gradus reipublicae unitatem, pulchritudinem, ordinem soliditatemque constituunt. Quod si cives in aequali prorsus conditione coerceantur, necessario eorum, qui mente et corpore multum praevalent et ad magna factitanda alacriores sunt, comprimetur industria, artes commercium ceteraque unde populorum opes, abundantia, robur, ac felicitas repetenda est. Neque minus absurda ac perniciosa reputanda est platonica illa rerum omnium in civitate communitas, ita ut communis et concors sit civium labor atque industria, communis fructuum rerumque omnium perceptio et usus. Qua in re praeter ea, quae contra aequalem dominiorum partitionem attulimus argumenta, communioni positivae bonorum itidem aptanda, referam id quod S. Thomas singillatim disserit (2. 2. q. 66. a 2.) « Est necessarium (quod homo » propria possideat) ad humanam vitam propter tria: pri» mo quidem, quia magis sollicitus est unusquisque ad pro» curandum aliquid, quod sibi soli competit, quam id quod » est commune omnium vel multorum ; quia unusquisque » laborem fugiens relinquit alteri id quod pertinet ad com-

» mune, sicut accidit in multitudine ministrorum: alio modo » quia ordinatius res humanae tractantur, si singulis immi- » neat propria cura alicujus rei procurandae: esset autem con- » fusio, si quilibet indistincte quaelibet procuraret: tertio » quia per hoc magis pacificus status hominum conservatur, » dum unusquisque re sua contentus est: unde videmus, quod » inter eos, qui communiter et ex indiviso aliquid possident, » frequentius jurgia oriuntur ».

ARTICULUS III.

De dominii acquirendi modis.

Demonstrato dominii jure atque utilitate superest, ut de legitimis ejus acquirendi *modis* singillatim agamus. Duplicis generis ii sunt, vel *originarii* vel *derivativi*: primum genus constituunt actus illi, qui nobis jus proprietatis individuae pariunt in ea, quae nullius sunt: aliud autem genus eos actus complectitur, quibus fit, ut dominium alterius in alterum transeat. Rebus itaque in communione universali ac negativa stantibus, per *occupationem*, qui primus et antiquior acquirendae proprietatis modus est, jure quisque potiri potest: *quod enim nullius est, id ratione naturali occupanti conceditur*, ait Cajus lege III ff. *hoc tit.* Jamvero res in nullius proprietate esse, seu dominio vacuae censentur, si vel nemini unquam in eas jus fuerit, vel si aliquando fuerit, id tamen aliquo facto cessaverit, scilicet vel morte unici ac legitimi domini, vel libera et absoluta sui juris abdicatione. Non ita vero dicendum de rebus quacumque ratione ablatis, aut naufragio demersis, vel in delirio et amentia projectis, aut inscio domino elapsis et amissis, nisi forte irreparabilis omnino earum jactura foret (1). Quapropter res in de-

(1) Quoad quaestionem, an inventor rei amissae, domino non invento, possit illam sibi retinere ? ita disserit s. Alfonsus T. M. l. 3. tr. 5. n. 603. « Adsunt tres sententiae. Prima sententia affirmat, modo

sertis terris positae, omnia animalia, quae mari coelo terra nascuntur, lapides gemmae metalla nondum effossa, vetustissimi thesauri in terrae visceribus abditi, et similia jure naturae primo occupanti conceduntur, nisi aliqua positiva lege earum dominium impediatur. Princeps enim civitatis sicut jure potest in commune bonum vectigalia, et tributa imperare, earum nempe rerum quas jure subditi possident, partem a singulis exigendo, ita profecto rerum quarumdam occupationem, si id reipublicae expedire judicaverit, sibi reservare jure potest; prout factum est de bonis *vacantibus*, idest de bonis morientium sine haerede, quae ex juris dispositione Fisco addicuntur, et alia hujusmodi, de quibus jurisprudentia positiva pertractat. In quavis autem acquirendi dominii ratione duo omnino necessaria sunt, primum, ne cui noceatur: ex injuria enim jus enasci absurdum est; tum ut id efficiamus, ex quo ratio seu jus nobis adsciscatur quarumdam rerum usu ceteros excludendi. Itaque in legitima rerum *occupatione* non solum necesse est, ut res domi-

» inventor omnem debitam diligentiam adhibuerit ad dominum inve- » niendum. . . Secunda sententia valde communior censet inventorem » rei non posse illam sibi applicare, sed debere elargiri in usus pios... » Tertia sententia verior et sequenda . . . distinguit et dicit. Quando » adhuc post diligentiam possibile est dominum invenire, tunc res vel » pretium servari debet, quod si utrumque servari nequeat, res vel » pretium omnino est erogandum in usus pios, juxta praesumptam » voluntatem domini, qui adhuc illius rei dominium retinet, semper » ac res potest in manus suas redire. E converso, quando res, spe- » ctatis circumstantiis longitudinis temporis, vel distantiae loci, vel » eo quod res non possit amplius a domino pro sua recognosci, ut » accidit in nummis ordinariis, non videtur possibile, ut ad dominum » redeat: tunc illa fit nullius, et ideo acquiritur a primo occupante, » qui illam non tenetur dare juxta voluntatem prioris domini, cum » ille per impossibilitatem eam recuperandi ejus dominium prorsus » amisit. Et hanc sententiam expresse tenet s. Thomas 2. 2. q. 66. a. » 5. ad 2. ubi ait: *et similiter si* (res) *pro derelictis habeantur, et hoc* » *credit inventor, licet sibi eas retineat, non committit furtum*. Ratio » a priori est, quia jus gentium tribuit privatis dominium rerum non » ad aliud, quam ut illis utantur: hinc quando est impossibile rem » pervenire ad ipsorum usum, illa tamquam derelicta evadit nullius, » et redit ad primaevum jus naturae, ac ideo fit primi occupantis si- » ne ulla obligatione ».

nio sint vacuae, aut si in communione universali sint (ad quas omnibus jus concurrendi aeque a natura datum est) sine aliorum supplantatione ad eas contendatur; verum etiam opus est, ut quis, adhibita industria, de facto primus rem apprehendat, ejusque possessionem animo sibi retinendi adipiscatur: utpote si per venationem, aucupium, piscationem animalibus potitus sis, vel in vacua veniens agri portionem colas, sepem ei circumducas etc. Fit enimvero occupatio animo simul et corpore: neque alter sufficit sine altero: intentio enim aliquid occupandi censeri debet tamquam jus concurrendi quod nondum descendit ad actum: itemque dicas de materiali tantum occupatione, si quis nempe rem corporaliter apprehenderit sine animo eam sibi retinendi ut suam. Quapropter primus modus originarius acquirendi dominii, scilicet *occupatio* recte definitur *apprehensio possessionis rerum dominio vacuarum, nemini nocens, atque animo eas sibi proprias retinendi.*

Alter modus originarius acquirendi individuam rerum proprietatem est *accessio*, idest quidquid rei jam in dominio nostro positae tempore accedit. Quadruplex autem accessionis species distinguitur, alia est *naturalis*, seu quae consueto naturae cursu fiat, utpote haerbae et arbores in fundo nostro sponte enatae, foetura nostrorum animalium etc; alia est *fortuita*, veluti accessio terrae solo nostro secus decursus aquarum posito per alluvionem facta, vel alvei pars a flumine penes nos relicta, novus mons terraemotu extructus etc.: alia est *industrialis* cum quis materiae suae aliquid, quo melior fiat, arte sua addidit; e. g. si ex argilla vas effingas, vel e tuis lignis navem, aut quidquid aliud efficias: quarta tandem accessio dicitur *mixta*, quae naturae vi fiat, addita simul hominis arte, utpote segetes, pomaria etc. labore nostro et industria in nostris agris sata et exculta. Procul dubio (nisi forte alterius jus impediat, vel positiva lex in commune bonum aliter praescribat) omnes istae accessionis species jus proprietatis ei pariunt, cujus dominio

incrementum additur: eique vel tamquam primo occupanti, vel tamquam auctori competit. I. Itaque si *ab extrinseco* accessio fiat sive ea sit *naturalis* utpote nives e coelo cadentes, sive sit *fortuita*, veluti si mare ingerat in solum nostrum salem, margaritas etc. vel flumen aliqua adjiciat; jure naturae nobis acquiruntur tamquam primis occupantibus, et quidquid accesserit fit nostri fundi pars. De alluvione autem fluminis haec perspecte inquit Cajus L. 7 ff. de acquirendo rerum dominio. « Per alluvionem autem id videtur adjici, » quod ita paulatim adjicitur, ut intelligere non possimus, » quantum quoquo momento temporis adjiciatur. Quod si » vis fluminis partem aliquam ex tuo praedio detraxerit, et » meo praedio attulerit, palam est, eam tuam permanere »: aequum enim non est quemquam alterius damno locupletiorem fieri. II. Porro quavis alia ratione accessio fiat, sive naturali vi e rebus nostris aliquid producatur ut foetus animalium nostrorum, aut plantarum germinatio etc. sive industrialis, sive mixta fiat accessio, cum ea quae accedunt rationem habeant effectus vel a nobis vel a nostris rebus, vel ab utrisque producti, merito censeri debent veluti naturalis amplificatio pristini dominii, nobisque tribuenda *sicut* effectus causae. Enim vero nullus est modus naturae magis consentaneus aequirendi rerum dominia eaque augendi, quam cum materiam omnium usibus veluti in semine a natura praeparatam, ingenio, labore, et arte nostra excolimus, et feracem atque utilem efficimus (1).

(1) « Illud Jurisconsulti latini controversum fecere, quid facto » sit opus, si alter rei nostrae quidquam addiderit: puta si in solo » nostro plantaverit, vel aedificaverit, si materiam nostram specifica» verit, si lapides pretiosos ferruminaverit, si rem suam nostrae per» miscuerit, vel confuderit. Naturae regula est, res, quae ad duos » dominos spectant, quocumque modo junctae fuerint, communionem » efficere. Igitur ad utrumque dominum pertinent... Quare si sejungi » possunt, quin altera damnificetur, divisione res transigenda est, ser» vandusque uterque dominus incolumis et indemnis. At si nequeant, » alterutri totum addicendum est, qui tamen alteri, quod interest, » praestet . . . At Jurisconsulti romani distinguendum esse docent, u-

Cum autem res non sunt in communione universali ac negativa; sed vel in communione particulari et positiva, vel in dominio singularis proprietatis constitutae sunt ; tunc si sint in communione positiva, transeunt in dominium singularis proprietatis vel 1. per *cessionem*, quo omnes socii totam rem communem a se libere abdicant, atque in unius dominium transferunt, vel 2. per *divisionem*. Divisio locum habet quando ex mutuo consensu aut singulis sociis rei communis portio juribus suis aequalis, vel uni tantum a communione recedere volenti, quod ei convenit in proprietatem attribuitur. Quemadmodum, mortuo parente, filii ex aequo in haereditatis communionem succedentes, si in ea perseverare nolint, quisque pro rata parte rei suae dominium per divisionem adipiscitur. Cum autem quisque sociorum verum jus habeat, etsi adhuc indeterminatum, parte rerum in communione existentium utendi fruendi tamquam sua; hinc nisi positiva lex, aut pactio divisionem fieri prohibeat, aut ea ob peculiares circumstantias reliquis sociis detrimento futura

» trum res bona, an mala fide junctae sint. Si bona, inquiunt, fide » quis junxit, jure adhuc suo gaudet. Si vero mala , eum qui ita egit » omni suo jure decidere statuunt, remque totam acquiri ei, cui ali- » quid adjectum est. Quin lex est Codicis XI de rei vindicatione, *si* » *quis sciens alienum agrum sevit, vel plantas imposuit, postquam hae* » *radicibus terram fuerint amplexae, solo cedere rationis est*. Haud *ra-* » *tionis*, dicere oportuit, sed *Imperii civilis, justi tamen*. Nam ex jure » naturae qui alterum laesit, talio est ; ergo si in integrum laesum » restituat, nihil reliquum est, quod ei faciat. Re vero sua spoliari » praeter talionem est: igitur punitio Imperii civilis, eaque servanda, » quo dolus malus coerceatur . . . . Illud etiam quaesitum est, utri » potius dominorum ejusmodi junctae res addicendae sint. Qua de re » Jurisconsulti romani subtilius disceptarunt, quam naturae simplici- » tas patitur. Praeclara est, et naturae consentanea Thomasii regula, » ut ei tota res addicatur, cujus pars non facile alia simili compensari » queat: naturalis enim est aequitatis, ut is, qui facile jus suum alia » ratione obtinere potest integrum, ea contentus sit sibi satis fieri. » Quare si quis in alieno agro plantavit vel aedificavit, domino soli » totum addicendum est, quod alter facilius id quod interest obtinere » queat, quam fundi dominus. At si quis in aliena tabula pinxit, vel » sculpsit in marmore, haud facile re sua similique compensabitur, si » tota res domino materiae cedat: aequum est igitur, ut species antepo- » natur materiae ». Ita Genuensis de officiis l. I. c. XI.

sit, procul dubio integrum cuique est, rem suam a ceteris separatam exigere : atque id eo vel magis concedendum est, quia ut articulo superiori demonstravi, communio isthaec minus convenit praesenti hominum conditioni : eaque a Jurisconsultis romanis *discordiarum mater* merito appellatur : quare L. 77. §. 20. ff. de legat. 2. approbatur ex hac ratione communionis resolutio. Quod si vero res communis individua sit, tunc ut jurium divisio fiat, vel uni tantum (sive de consensu, sive sorte, sive pro juris ejusdem praestantia) tota in proprietatem cedat, qui tamen singulis pro rata cujusque portione satisfaciat, vel integra vendatur aut commutetur in rem dividuam, quo quisque jus suum habeat.

Porro alter ex derivativis dominii acquirendi modis est *traditio* qua scilicet ex dominio unius res per liberam domini *dationem* seu *alienationem* in alterius proprietatem transit, de qua §. Per traditionem, Institut. De Rerum divis. dicitur « Per traditionem quoque jure naturali res nobis ac» quiruntur; nihil enim tam conveniens est naturali aequi» tati, quam voluntatem domini volentis rem suam in ali» um transferre ratam haberi : et ideo cujuscumque gene» ris sit corporalis res, tradi potest, et a domino *tradita* » alienatur ». Et re sane vera, cum dominii proprium sit jus de re sua ex sententia disponendi, atque etiam eam a se abdicandi, ut in communionem universalem redeat ; hinc si e. g. Titius agrum suum abdicaret sub hac conditione, scilicet dummodo Cajus eum acceptet etc. superveniente acceptatione seu posita conditione, necesse est, ut alter jus suum amittat, alter illud adispiscatur. Quinque itaque tantum modis, duobus originariis *occupatione* nempe et *accessione*, tribus derivativis, *divisione cessione* et *traditione* (qui tamen a jurisperitis iu alios quoque subdividitur usui propius accommodandos) omnis rerum dominium legitime acquirendi ratio comprehenditur.

Quaeret fortasse quispiam, utrum et quo jure per *usucapionem* seu *praescriptionem* rerum dominium acquiri liceat.

Usucapio seu *praescriptio* (quas etsi nonnulli tamquam distinctas subtiliter interpretentur, tamen revera in communi acceptione unum utraque valet) *usucapio* inquam *est acquisitio dominii rei alienae , per possessionem ejus certo temporis spatio legibus definito bona fide continuatam.* Legibus enimvero civili et canonica statutum est, ut si quis rem alienam *justo* cum *titulo,* puta ex haereditate, donatione, emptione etc. acceperit, eamque certo *temporis spatio a legibus praefinito,* sine ulla pacificae possessionis intermissione, ac *bona fide* , scilicet ex invincibili errore suam credens retinuerit; dummodo tamen (ut monet Genuensis) dominus sciverit aut scire potuerit, neque ulla vi aut dolo malo prohibitus sit reposcere: tunc possessor rei alienae, etiamsi certior fiat de pristino alterius dominio, tamen pro legitimo possessore ac domino habeatur, nec quidquam illi satisfacere teneatur. Cur ita, inquies ? Nonne certum exploratumque est , detrahere aliquid alteri et hominem hominis incommodo suum augere commodum contra naturam esse ? Numquid justi et honesti regulam tempus praescribit ? Qui ergo fieri possit , ut rei alienae possessor, contra domini voluntatem ejus proprietatem obtineat ? Ratio in promptu est , id scilicet contingit expressa supremae potestatis traditione, cujus menti ac nutui civium voluntates subduntur : quod igitur Princeps in reipublicae bonum decernit et vult, id rationabiliter velle et ratum habere debent singuli cives. Et sane *bono publico usucapio introducta est, ne scilicet quarumdam rerum diu et fere semper incerta dominia essent* (L. I. ff. de Usucap.) quod discordiarum, et litium seminarium teterrimum foret.

CAPUT II.

DE PACTIS ET CONTRACTIBUS

Perspectis et cognitis modis derivativis acquirendi dominium rerum quae ad vitam pertinent, facili transitione co-

gnosci possunt et alia facta naturae consentanea, *pacta* inquam et *contractus*, in quibus vi consensus ac verborum quaedam jurium pars ex uno in alterum transfertur. Jamvero quae de rerum *divisione cessione* et *traditione* diximus, ea simili modo ad alia quaeque objecta, ad operas, ad personas ipsas, familias, ac respublicas per contractus et pacta extenduntur. Quamquam autem jurisperiti distinguere soleant inter pacta et contractus; pactum enim ipsis videtur vox generalior et amplioris significationis atque ad nobiliora paciscenda inserviens: contractus autem minus generica vox, et ad res et operas pertinens, quae sunt in commercio; tamen philosophi ac theologi plerumque iis sine ullo discrimine utuntur, et ut perspecte monet Genuensis, *haec Graecorum et Latinorum mores ac lingua et natura rerum satis ignorant*. Quare posthabita inutili de vocabulis quaestione, rem perpendamus: primum itaque de contractuum natura generatim; tum de praecipuis contractuum speciebus disseremus.

ARTICULUS I.

De contractibus generatim.

Contractus seu pactio quaelibet, ut definit Ulpianus l. 1. ff. de pactis, *est duorum pluriumve in idem placitum consensus*: in hoc autem consensio ista posita est, ut et promissio alicujus juris transferendi ex una parte, ex altera vero ejusmodi acceptio fiat; quae quidem promissio et acceptio potest esse, ut ait Grotius, vel *unilateralis*, si alter tantum spondeat aliquid alteri consentienti et accipienti se daturum, aut facturum; vel *bilateralis*, si reciprocae sint sponsiones et acceptiones: hinc primi generis contractus appellantur *unilaterales, lucrativi, gratuiti*: alterius vero generis *bilaterales, onerosi, permutatorii* dici consueverunt. Cum autem contractuum obligatio ex libera paciscentium voluntate oriatur; sequitur, ut cuique integrum sit aut absolute aut aliqua sub

conditione promissionem facere, Ceterum contractum *conditionatum* non illae conditiones constituunt, quae cuilibet contractui sunt essentiales; utpote si quis diceret spondeo hoc vel illud, si tamen possibile factu sit, aut aequitati non repugnet etc: verum eae tantum conditiones, quae *extrinsecae* sunt a contractus natura: e. g. equum meum tibi muneri dono, si de lite quadam, quae in foro agitur, judices pro me sententiam ferent. Ceterum quoquo nomine nuncupentur contractus, quavis ratione, et quacumque de re sive inter privatos, sive inter Principes ac nationes ineantur, omnium tamen essentia et natura itidem *in mutuo consensu in idem placitum* reponenda est. Quae cum ita sint expendere oportet, quae conditiones necessario requirantur ad contractus quosque rite ineundos, ut vim obligandi habeant. Jamvero cum essentia contractus in mutuo duorum vel plurium censensu in idem placitum consistat; hinc tria examinare debemus, scilicet *objectum* seu ut ita dicam *materiam* circa quam contractus versatur; *subjectum*, idest utramque personam quae illum inire intendit, denique *modum* seu rationem qua contrahentes assentiri invicem debent ut consensus ille habeatur. In primis itaque nullam obligandi vim contrahentium conventiones habebunt, non solum si eorum *objectum* seu *materia* sit *physice* impossibilis (promissio enim faciendi id quod naturae vires excedit, nulla prorsus et illusoria est): verum etiam si aut legi naturali, aut positivae cuidam legi repugnet, uno verbo si materia sit *moraliter* impossibilis. Absurdum enim est, si quis aliqua contra naturalem justitiam et honestatem promiserit, eum ad promissa, idest ad iniqua et inhonesta facienda obligari: lex enim naturae semetipsam destrueret. Simili ratione dicendum est, si per legem positivam jus de quadam re et actu disponendi cuidam interdictum sit vel limitibus circumscriptum sicuti e. g. civili lege cautum est, ne minores et impuberes alienare possint sine tutoris vel curatoris auctoritate; quod enim in reipublicae bonum a suprema Potestate sive civili sive ecclesiastica sapientissime est institu-

tum, id sancte servandum est. *Jus publicum* (ait praeclare Papinianus L. 38. ff. de pactis) *privatorum pactis mutari non potest.* Porro quoad contrahentium personas, ut habiles sint ad consensum in idem placitum praestandum; primo necesse est, ut rationis plene participes sint: qui enim *non sentit, non consentit* ait proverbium; ideoque et pueri, et senes qui repuerascunt, et amentes, et ebrii, si callide inducantur ad aliquid verbis, scripto, aliisve signis paciscendum, quamvis postea plenum rationis usum obtineant, certum est, eos nulla prorsus praestandi id, quod inscii promiserint, obligatione teneri. Atque haec, nisi nimio privatae utilitatis amore hallucinentur homines, perspecta cuique esse debent. Sed et aliud considerandum est, quod multi non satis animadvertunt, scilicet praeter rationis usum *plenam* quoque consentiendi *libertatem* ad contractus volorem omnino requiri: id est contrahentes libere et *sponte* assentiri debere. Viator, qui latroni districto gladio vim inferenti sua omnia cedit, ejusque voluntati fidem dat, scienter quidem et libere promittit, non autem sponte; et ita porro de aliis hujusmodi exemplis. Quaeritur itaque valeant necne promissiones illae quas metu ac vi coactus quispiam promiserit? Qua in re accurate distinguendum est: non quivis enim metus et coactio humanorum contractuum naturam vitiat. Certum in primis est, metum quamtumvis gravem, qui *internus* a jurisperitis appellatur (1) contractuum valori non officere: is enim nulla injusta vi impellitur ad contractum ineundum, etiamsi alias non esset initurus: sed quamquam ex concepto periculo ad assentiendum moveatur, tamen ipse per se seu *sponte* sua movetur ad assentiendum, idque optimum factu putat ad impendentia pericula vitanda: in quo si non

(1) Ille nempe qui non ab alterius minis et coactione injicitur (hic enim *externus* metus dicitur, idest a causa externa libera proveniens) sed ille *internus* appellatur quem quis ex physicis aut moralibus periculis utpote ex morbo, infamia, morte naturali, aut ex futurae vitae poenis per se concipit.

est *plena* spontaneitas, sicut accidit cum quis lubentissime contractum conficit, unde sine ullo suo incommodo maximum sibi lucrum futurum novit; tamen ea spontaneitas adest, quae sufficit ad quemlibet contractum valide conficiendum, quaeque plus minus adest in omnibus contractibus, qui onus aliquod adnexum habent: quisque enim cibaria aliaque vitae subsidia gratis a venditoribus lubentius acciperet, quam soluta pecunia; lubentius domum gratis commodatam, quam conductam habitaret. Eadem de causa validi censendi sunt contractus illi, in quibus ineundis quamquam metus gravis injustus et *externus* intercesserit, attamen *indirecte* incussus sit; e. g. ab uno ex contrahentibus alteri vis *major* inique inferatur non quidem *directe* ad ejus extorquendum consensum, sed ad aliquid aliud efficiendum. Utpote Princeps inique ab hostibus in sua urbe obsessus et ad extrema redactus, si ut sibi reique publicae consuleret, filiam suam hostium Imperatori in matrimonium daret, profecto contractus matrimonialis valeret; quia quamvis *occasione* illius timoris *exterius* illati tam pater, quam filia ad assentiendum inducantur, tamen ex se ac sponte ad illum contractum complendum moverentur. Tandem si vis ac metus *justis* de *causis* ad pacta quaedam vel ineunda, vel servanda, vel dissolvenda directe inferatur, sine ulla controversia omnes isti actus validi sunt: non quod vis jura et obligationes producere possit; sed cum ea *jure* inferatur, consequenter anterior obligatio supponitur, cujus vindex, non creatrix, coactio justa censenda est. Itaque omnibus jurisconsultis, canonistis, ac philosophis recte sentientibus convenit, pacta quaelibet et contractus *ex gravi* metu ab *extrinseco*, *injuste* et *directe* ad extorquendum consensum incusso initos, vel ipso jure nullos esse, vel saltem per sententiam judicis rescindendos. Hanc distinctionem posui quia variae hac de re sunt doctorum opiniones. Omnes quidem passim consentiunt per vim, matrimonium, sponsalia, promissionem dotis, et alia quaedam facta quae vel explicitam vel implicitam conventionem et obligationem

pariunt, esse nulla atque irrita ipso jure: alii addunt omnes contractus *gratuitos*, ex eo quod ad liberalem donationem et largitionem requiratur voluntas omnino libera, a quavis coactione, de quibus loquens D. Thomas ait: (2. 2. q. 89. a. 7, ad 3.): « Talis obligatio tollitur per coactionem, quia » ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissio non ser- » vetur »: ceteros vero contractus humanos etiam si ex metu hujusmodi factos, multi doctores validos censent, qui tamen per sententiam judicis possint dissolvi: et hanc rationem afferunt, quia nempe coactio et metus libertatem arbitrii non tollit: idque confirmant ex jure positivo: nam leg. *Si mulier* ff. *de eo quod metus* etc. praecipitur judicibus, ut eos contractus *rescindant*; igitur (ajunt) lex eos per se validos censet. Ultima sententia tenet, omnia prorsus pacta et contractus, etiam eos, qui res in commercio positas respiciunt, vi interveniente ipso jure nullos esse. Atque haec mihi videtur verior ac tenenda. Nam ratio illa, quam adducunt, quod nempe vis et metus non tollat omnino libertatem consentiendi, neque irritum per se reddat contractum, valere etiam deberet quoad contractus gratuitos, atque etiam quoad matrimonium, sponsalia et alia hujusmodi, quae certe, omnibus fatentibus, ipso jure atque in radice nulla sunt, quamquam et matrimonium et sponsalia sicut ceteri contractus in foro externo pro validis habeantur ante sententiam judicis, qui cognita rei veritate de gravi metu etc. incusso, contractus istos rescindit, idest declarat ab initio nullos omnino fuisse, et ab *externo obligationis vinculo solvit*. Neque dicas, matrimonium, sponsalia etc. ex positivi tantum juris institutione irrita esse: etenim si horum contractuum nullitatem ex libero ecclesiasticae Potestatis decreto repetas, quae conventiones illas per vim inique extortas nullius valoris esse sanciverit: equidem eadem affirmare possem de reliquis contractibus qui ad commercium pertinent, quos suprema Potestas civilis si ex metu initi fuerint, *nullius momenti* esse affirmavit. L. *Qui in carcerem* 22. ff. *de eo quod metus causa*. Ceterum haec utriusque juris decreta (aut

ego fallor) haud novam et positivam legem condunt, sed naturalis justitiae normam declarant, et sanciunt. Idque et expresse declarat jus positivum, et ratio ipsa invicte demonstrat. Primo enim generatim regulae istae ponuntur in Jure Canonico (C. *Abbas* et C. *ad audientiam. De iis quae vi metusque causa fiunt.*) *Quae metu et vi fiunt, de jure debent in irritum revocari. Quae vi metusque causa fiunt, carere debent robore firmitatis.* Cum autem sermo est de sponsalibus etc. ipso jure irritis et nullis habendis, non dicitur quia id Praesulibus Ecclesiae statuere placuit, sed haec generalis et ex rei natura petita ratio redditur: quia *locum non habet consensus ubi vis et coactio intercedit*, (C. *Veniens* et C. *cum locum. De sponsal*). Scilicet deest consensus non ex defectu libertatis a *necessitate* quae per metum non tollitur, sed ex defectu libertatis *a coactione*, qua fit ut actus non sit plene liber et spontaneus: atque inde stare nequeat *consensus in idem placitum*, in quo contractus essentia consistit, si alter invitus ex vi inique illata consentiat. Nisi autem natura sua contractus per injuriam extortus nullus foret, hoc absurdum sequeretur, quod nempe vis injuste illata jus daret violento invasori ea sibi propria habendi, quorum per hujusmodi contractus ab invitis promissionem extorserit, et his lex naturalis obligationem imponeret promissa faciendi, quoad saltem, si fieri possit, tandem per judicis sententiam ab onere liberentur. Itaque pacta et contractus, qui ad humani commercii et societatis bonum inducti sunt, fierent teterrimum medium quo debiles a praepotentibus devincirentur et opprimerentur. Concludam igitur contractus quoslibet initos, ex gravi metu ab extrinseco proveniente, et directe illato, per se et ipso jure naturae etiam ante judicis sententiam nullos omnino esse. Quae tamen judicis sententia tam in decernenda nullitate contractus matrimonialis, aut sponsalium etc., quam in minoribus contractibus rerum quae ad commercium pertinent, ideo requiritur, ut agnita facti veritate, auctoritative declaret eorum nullitatem: nemo enim judex in causa propria.

Hac autem posita veritate, stare potest illa moralistarum sententia, quam s. Alphonsus multis allatis auctoritatibus merito *communem* ac *tenendam* dicit, quod scilicet metum passus potest pro suo arbitratu praestare aut non praestare ea quae promisit: et si res per violentum contractum jam ablata sit, *metum passus bene potest occulte sibi compensare, intellige si petat, et alter nolit contractum rescindere. E contra qui metum incussit, tenetur restituere rem extortam statim ac alter petat.* Theol. Mor. l. III. Tr. V. c. III. §. 717. Qui autem hujuscemodi contractus validos per se habent, et nonnisi per judicis sententiam rescindi posse ajunt: quonam pacto superius dictam sententiam (rectissimam eam quidem) tueri possint, prorsus ignoro.

Declaratis tam *objecti* circa quod contractus versatur, quam *subjecti* seu utriusque contrahentis qualitatibus, quae necessario requiruntur ut contractus quilibet iniri possit; superest ut de *modo* disseramus, quo actus iste rite fieri debeat. Tunc tantum mutua conventio in idem placitum haberi potest, cum ex una parte, re bene cognita, serio promissio fiat cum intentione sese revera obligationis vinculo subjiciendi: ex altera vero parte de eodem negotio reciproca et vera acceptio interveniat. Primum igitur necessaria est perfecta cognitio rei de qua agitur, saltem quoad ejus *substantiam*; si quis enim donaret cuidam munusculum putans illud ex vitro confectum, quod postea gemma pretiosissima reperiatur, vel si quis emat auricalcum pro auro etc: certe contractus hujusmodi nulli essent: quia cum error sit circa rei substantiam, impossibilis omnino est contrahentium consensus, cum vel utrique, vel alterenter aliud intendant diversum ab eo quod donatur vel emitur. Non itidem vero dicendum esset, si error contingat circa qualitatem rei *accidentalem*, utpote si quis villam quandam emeret putans eam ad rusticandum aut venandum peropportunam fore, quae tamen ad neutrum recte conducat; valeret enim vero contractus, quia in illo ineundo de re, non de ejus qualitatibus

conventio facta est. Ceterum si quaedam rei qualitas tamquam conditio in pactum deducta sit, tunc cum pactum sit *conditionale*, deficiente conditione, nullum id ipso jure fieret. Itemque si dolus malus causam dederit contractui, quamquam is non videatur omnino per se nullus, quia quoad substantiam rei consensus intercessit, ratio tamen validissima habetur, cur deceptus ob injuriam sibi illatam per sententiam judicis ab omni obligationis vinculo dissolvatur. Porro cum in contractibus ineundis necesse sit, ut rei cognitio saltem quoad substantiam utrinque perspecta sit et certa: hinc adhiberi debent a contrahentibus verba aliave signa, quovis remoto mendacio, ac dolo malo. *Omnis enim calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum, adhibita* et necessarium societatis universae vinculum inique solvit, et peculiarem incautis injuriam intentat, et ipsam pactorum essentiam vitiat: quo quidem naturali aequitati nihil magis posset esse contrarium. Dummodo autem liquido constet de paciscentium voluntate, naturae lege nihil interest, utrum verbis, nutibus, scripto, aliisve signis voluntatem suam manifestent: idque etiam Paulus monet. L. 2. ff. *de pactis. Labeo ait, convenire posse vel re vel per epistolam vel per internuntium, inter absentes quoque: sed etiam tacito consensu convenire intelligitur.* Quare distinguuntur contractus *explicitì* ab *implicitis* et *interpretativis*, quando nempe non verbis aut aliis signis expresse, sed re censetur aliquis convenisse: ita qui tutelam aut munus quodvis assumit, is ipso facto obligatur ad ea omnia officia, quae vel ex natura rei, vel per leges, instituta, et consuetudines muneri illi adnexa sunt.

Jam vero naturalis contractuum effectus est perfecta obligatio ex justitia promissum faciendi. Etenim si ille, qui de quadam re aut opera jus habet libere disponendi, prudens et sciens voluntatem aperte et ultro declaret rem suam in alterum transferendi, aut quidquid aliud in ejus commodum agendi, idque non urbanitatis ergo, aut ad ostendendum sim-

plex gratificandi desiderium aut propositum, sed cum expressa intentione sese obligandi faciat: atque vicissim alterius acceptio superveniat: hic certe jus perfectum in ea omnia, quae promissa sunt adipiscitur, eaque sicut cetera, quae a natura habet, fiunt ipsius propria. *Quid* enim *tam proprium fidei humanae quam ea, quae inter nos placuerunt, servare?* Fundamentum est autem justitiae fides (ait Tullius), idest dictorum conventorumque constantia et veritas, qua sublata, societas hominum dissolvatur, necesse est: quisquis ergo promissum non praestat, is alterius jura laedit, et infidelis est.

Quaeret fortasse quispiam, utrum, et quibus modis obligationes ex contractibus initae, irritae ac nullae fieri possint? Ex iis quae hucusque disserui facile infertur, dari utique posse causas, cur pactum quodvis etsi rite initum ac validum, jure dissolvatur (nisi forte aut natnra aut legibus perpetuum esse debeat, cujusmodi sunt nuptiae, de quibus inferius agam). Id autem quatuor potissimum de causis contingere potest, scilicet vel ob materiae immutationem, vel ob alterius perfidiam, vel ob mutuum dissensum, vel ob supremae Potestatis auctoritatem. Si enim primo contractus materia ita immutetur, ut fiat impossibilis, aut inutilis, aut inhonesta, tunc essentiali pactorum fundamento sublato, eorum valor subsistere amplius nequit, atque omnis *per se* obligatio solvitur. Porro cum quaelibet inter homines conventio ad hoc fiat, ut servetur utrinque fides; atque haec, de mutua promissorum fide praestanda, cujusque contractus naturae propria et intrinseca conditio sit; consequens est, ut alterius perfidia jus tribuat alteri discedendi a contractu. Qui tamen si in eo perseverare velit, nullimode cogi potest, ut juri suo cedat; ac foedifragus adhuc obligatus remanet: perfidia enim non solvit jus alterius. Tertia causa est mutuus contrahentium dissensus, ita ut in contractibus *unilateralibus*, vel in *bilateralibus* in quibus ex una tantum parte promissio impleta sit, si creditor prudens et sciens juri suo sponte cedat, omnis alterius obligatio desinat, atque hic dissolvendi

modus a jurisperitis *acceptilatio* dicitur: sin autem contractus bilateralis ratus tantum fuerit, neutra tamen ex parte adhuc promissio suum habuerit effectum, tunc contrahentes, si utrique libeat, juri suo libere cedentes obligationem sibi mutuo relaxare rite possunt. *Nihil enim est tam naturale* (inquiunt jurisconsulti romani) *quam ut eo modo nexa solvantur, quo sunt colligata;* quod idem esset, ac in alium priori oppositum contractum ineundum utrinque convenire. Denique cum in humana societate duplex suprema regendi et gubernandi Potestas instituta sit, politica nempe et ecclesiastica, ut civilis et christianae reipublicae bono prospiciant; utrique certe jus est, ut (si id temporali civium bono, et spirituali christianae rei utilitati peropportunum ac necessarium judicaverint) aut consentientibus studiis, aut unaquaeque Potestas in provincia sua, tam impedimenta quosdam contractus dirimentia apponere, quam eos qui initi fuerint relaxare, ac dissolvere possit. Quare omnes qui sublimioribus Potestatibus subditi sunt, tamquam filii et pupilli sub hac tacita conditione, *nisi a Suprema Potestate aliter censeatur*, contractus inter se ineunt.

ARTICULUS II.

De contractibus gratuitis.

Contractus *unilaterales*, seu *lucrativi*, seu *benefici* ii sunt, qui nulla permutatione, nullo pretio aut mercede sibi proposita, perficiuntur: ideo enim gratuiti appellantur, quia in his alter humanitatis et beneficentiae studio alteri consentienti et accipienti beneficium, interposita fidei obligatione, gratis se largiturum promittit. Omnes contractuum hujusmodi distinctas species facili negotio complectemur, si animadvertamus, triplici tantum ratione hominem homini beneficum esse posse, scilicet vel rem suam quamdam in ejus proprietatem transferendo, vel usum tantummodo concedendo,

vel suam operam in ipsius utilitatem praestando. Itaque prima contractus gratuiti species est *donatio* seu *libera et gratuita rei vel juris nostri alienabilis in alium translatio.* Cum autem ea, quae utenda alteri conceduntur, duplici natura sint, vel quae usu non absumuntur nec distrahuntur, ut domus, equus etc.; vel quae usu ipso absumuntur et alienantur, uti frumentum, vinum, pecunia: hinc in iis contractibus, quibus rem nostram non alienare, sed ejus tantum usum alteri concedere gratis intendimus, duplex distinguitur species, alia est *commodatum* nempe *alicujus rei ad aliquem specialem usum gratuito facta concessio,* quae proinde post praefinitum usum ac tempus eadem in *specie,* idest in individuo reddi a commodatario debet: quod si neque tempus, neque usus expresse determinetur, res *precario* commodata dicitur: (*Precarium est, quod precibus petenti utendum conceditur, quamdiu is, qui concessit, patitur* L. 1. ff. de precariis): precarium autem a commodato proprie dicto specifice non differt. Aliam contractus de rebus quae ad usum permittuntur distinctam speciem constituit *mutuum,* quod est contractus, quo rei alicujus *fungibilis* dominium a mutuante in mutuatarium transfertur, cum obligatione restituendi eamdem vel similem specie et bonitate, nulla tamen addita pro beneficio remuneratione. Denique operam in alterius utilitatem dupliciter impendere possumus vel ejus rem custodiendo, vel ipsius negotia gerendo; in primo casu locum habet *depositum,* scilicet *contractus ille gratuitus, quo aliquid traditur custodiendum ut integrum domino repetenti reddatur;* in altero vero casu, si quis, *conventione facta, certum alterius negotium, eo postulante, et modum, tempus etc. rei gerendae praescribente, gratis expediendum suscipiat, mandatum* confecisse dicitur. Sin autem negotia absentis aut ignorantis, nullo propterea intercedente mandato, charitate ductus ne interim ille aut damnum patiatur, aut lucri faciendi occasionem praesentem amittat, quis tractanda susceperit, *negotiorum gestio* appellatur. Hae sunt praecipuae contractuum unilateralium species, ad quas reli-

qui omnes, de quibus jurisperiti singillatim pertractant, facile referuntur. Jamvero, in hisce contractibus, praeter regulas generales in quovis contractu necessario requisitas circa physicam et moralem possibilitatem, plenam rei cognitionem, voluntatem a quavis coactione liberam, ac bonam fidem, ea tantum quae unilateralium propria sunt breviter adnotanda esse censeo. In primis autem cum benefici omnes contractus ex officiis humanitatis et amicitiae originem trahant, cavere magnopere debent qui ea suscipiunt, ne sub hoc praecellenti amicitiae actu fallendi ac laedendi animum celent: nulla enim capitalior et detestabilior injuria est quam eorum, qui cum maxime fallunt ac nocent, id agunt, ut viri liberales et benefici esse videantur. Ceterum posthabita hac proditorum peste, quae non philosophiae praeceptis curari, sed omnium execratione, et carnificis ferro et igni de societate exterminari debet, cuilibet frugi homini, qui haec in alterum beneficia praestare velit, considerandum sedulo est, cujus ponderis onus suscipiat. Etenim quae per se nonnisi liberalitatis officia sunt et de mero consilio, vel aliquando ex sola charitate debita, ea, accedente contractus gratuiti promissione, fiunt officia justitiae, quae sine injuria praetermitti nequeunt. Itaque primum conditiones cujusque contractus gratuiti propriae sine ullo dolo malo aut culpa ad amussim aequitatis servandae sunt. Quare quae semel donata sunt, ea nefas est, vel sibi retinere si nondum tradita sint, vel si tradita, rursus eadem sibi vindicare et propria facere: neque commodatum, ac mutuum ante tempus repetere licet, id enim jus in alterum transtulit: depositum ad nutum domini integrum statim reddere oportet, nisi forte ob peculiares circumstantias aut domino ipsi, aut depositario, aut aliis depositi redditio periculosa sit: denique et in ipso deposito custodiendo, ut in mandato ac negotiorum gestione expedienda, ea ipsa cura ac diligentia adhibenda est, quam in suis rebus prudentiores adhibere solent: si enim ejus culpa aut depositum, aut negotia per mandatum aut gestionem commissa ali-

quid detrimenti capiant, depositarius, mandatarius, et administrator negligens omnia damna praestare debet: summa enim justitiae est: *suum cuique jus integrum immotumque esto.*

Cum autem ex vi et natura contractus cujuslibet unilateralis onus aliquod in alterius commodum gratis subeundum ac ferendum suscipiatur; hinc nulla sibi proposita mercede et utilitate id praestari debet, non enim beneficia foeneramur. Quisquis igitur ex donatione, commodato et mutuo aliquid lucri exigat; aut rem depositam in suum usum et fructum convertat, aut in mandato ac gestione suum se negotium agere intendat; is contra fidem datam faceret et rei alienae usurpator ac talio fieret.

Quamquam vero in hisce contractibus gratuitis, ex altera tantum parte onus imponatur, ex altera utilitas et commodum praestetur; tamen qui ita liberaliter a beneficis viris juvantur, praeter grati animi officium, tenentur quoque leges omnes, quae vel ex benemerentis arbitrio beneficiis appositae sunt, vel quae cujusque contractus propriae sunt accurate servare. Itaque rem commodatam, precariam, et mutuam vel eamdem, vel aequivalentem praestituto tempore domino suo reddere oportet: rem autem commodato acceptam, non dico maligna voluntate, quod plusquam ferinum esset, sed ne incuria quidem sua perdere aut deteriorem facere, neque in alios usus, praeter eum, qui ei concessus est, adhibere licet: nemini enim juris est in re aliena aliud praeter quod dominus tradidit. Cetera denique onera, quae in hujusmodi officiis exequendis forte accedant, quae tamen ab intrinseca contractus benefici natura sunt aliena, utpote e. g. impensae quae fieri debeant in exportatione, portoriis etc. rerum ex donatione acceptarum; itemque stipulationes, ceteraque omnia, quae in commodato, mutuo, aut negotiorum administratione, praeter operam et rem gratificantis accedunt, nisi haec quoque beneficus se gratis subiturum promiserit, alteri qui beneficio auctus est ex justitia sunt imponenda.

Haec utrinque juxta fidem datam et acceptam ex officio

justitiae servanda sunt. Cum autem aequissima et ex natura ipsa petita regula sit, ut quaelibet res sive per se fructus ferat, sive casu aliquo pereat, nonnisi dominus vel utilitatem vel damnum habeat: hinc si neutra ex parte aut dolus malus aut culpa intercesserit, aut peculiaris conventio facta sit, sequitur, quod si res donata, aut mutuo accepta augeatur vel pereat, donatario, et mutuatario augetur vel perit: si deposita res, commodata, et precaria, itemque negotia per mandatum, gestionem, similesve contractus alienae fidei commissa sive fructus per se edant, sive casu quodam deteriora fiant ac pereant; (ecquis fortunae imperare possit?) uni deponenti, commodanti, aut ei cujus negotium susceptum est, cum utilitates tum detrimenta adjudicanda sunt.

Haec breviter dicta ad claram contractuum unilateralium ideam concipiendam pro elementariae tractationis modulo sufficere arbitror. Nunc autem, quoniam de actibus loquimur quibus gratuito dominium rerum suarum transfertur, haud abs re erit nonnulla de *testamentis* subjicere, quibus ejusmodi liberalitas quodammodo exercetur (1). Duo hic consideranda occurrunt, unum versatur in disquisitione speculativa, quo nempe jure hujusmodi actus fiant; alterum pertinet ad praxim, scilicet utrum translationes istae dominii, quae sine solemnitatibus a lege praescriptis nullae sunt in foro externo; nullae quoque censeri debeant in foro conscientiae. Quoad primum itaque, cum certum sit apud omnes successionem testamentariam legitimum esse modum acquirendi haereditatem et legata, seu dominia rerum, quaesitum est a philosophis, utrum jus testandi, aut quoquo modo rem suam in alium post mortem suam transferendi a lege naturae, an

(1) « Testamentum (inquit Modestinus l. 1. ff. *qui testamenta facere possunt*) » est voluntatis nostrae justa sententia de eo, quod » quis post mortem suam fieri velit ». Et ex Romanis legibus plenius definiri potest « solemnis declaratio voluntatis nostrae de universa » haereditate, omnique jure, quod mortis tempore habituri sumus, » post mortem demum nostram in alium transferendo; ad libitum tamen nostrum ante mortem revocabilis ».

potius a positivis institutionibus populorum, ac civilibus legibus originem ducat. Primam sententiam tenent Grotius, Leibnitius aliique multi philosophi ac theologi; alteram vero Pufendorffius, Heineccius, Genuensis aliique tuentur. Secundae sententiae auctores duplici de causa jus testandi a naturae lege derivari posse negant, primo quia testamentum non est alienatio, secundo quia ne esse quidem potest. Primam rationem Pufendorffius urget hoc modo. Testamentum duplicem conditionem habet, idest ut *non succedatur in bona nostra nisi post mortem nostram: et ut haec voluntas ante mortem nostram pro lubitu nostro sit mutabilis et revocabilis:* itaque (concludit) cum consensus donantis et accipientis *synchronus* non sit, scilicet nunquam una habeatur; sequitur neque vim contractus subsistere, neque haereditatis alienationem fieri. Quin etiam subdit Zallingerus non solum acceptatio haeredis vel legatarii cum testatoris promissione eodem tempore nunquam convenit, sed ne vera quidem testatoris promissio unquam extat. Etenim testamenti factio, vivo testatore nihil juris transfert nihilque operatur: proinde ac si dicerem, dabo tibi, si mihi placuerit: mortuo autem testatore, nihil juris transferre, nec quidquam operari potest: eo quod ejus voluntas, et potestas transferendi extinguatur. At enim rationes hujusmodi non admodum validae videntur. Etenim ad contractus cujuslibet validitatem consensus quidem necessarius est: at nullo argumento demonstrari potest, quod contrahentium voluntas esse debeat actualis et contemporanea. Satis est, ut qui promittit, voluntatem suam non revocet, antequam alter consentiat et acceptet. Quamvis « autem (ait Lampredius J. P. Univ. P. I. c. 17. §. 8.) testa» toris voluntas mutabilis sit: attamen cum fieri possit ut » non immutetur, jus haeredis designati hypoteticum qui» dem est; attamen jus dici potest, quod utilitatem aliquam » habet adnexam: nam quisque licet probe noverit, fore ut » testamentum revocetur, tamen haeres scribi vellet, et spem » saltem, et jus, ut ajunt, eventuale acquirere; quod sane in

» multis vitae conditionibus emitur venditur, et cum pecu-
» nia permutatur ... Quod autem attinet ad testatorem, actus
» per se perfectus est, nisi voluntatem immutet: quapropter
» acceptatio tunc fieri debet, cum voluntas immutabilis est,
» nempe post mortem ».

Validius quidem hac in re philosophatur Genuensis; cujus argumentandi ratio haec est. Jus dominii derivatur ex jure utendi et ex naturali cujusque indigentia; atqui jus utendi et naturalis indigentia, superveniente morte, extinguitur: ergo jus dominii una cum jure illud in alios transferendi praeter praesentem vitam exspatiari nequit, adeo ut homo, qui *nudus egressus est de utero matris suae, nudus revertatur illuc* Job. I. 21. « Cum igitur (concludit De Officiis l. I. c. XIII)
» qui moritur, ex lege mundi ejus dominia omnia vacant,
» et in commune redeunt. Id nemo non sentit, qui dominia
» ex jure utendi nata esse intelligit. Sed populi ferme omnes
» tacite, ut pactis bona partiti sunt, ita consensere ratas ha-
» bere morientium voluntates, modo ne reipublicae obessent.
» Id totum jus gentium est, cui jus civile vigorem addidit. . .
» Testamentum igitur non est privata alienatio, nec morien-
» tis, sed publica reipublicae et viventium ».

Haec Genuensis opinio est, consectarium illius falsi criterii, quod superiori capite ar. 1. refutavi de arctis dominii acquirendi limitibus, quos *praeter id quod sibi suisque necessarium est* jure extendi posse negat. Certum quidem est jus dominii ex jure utendi repeti debere. Cum autem homo non sibi soli nascatur, sed et suis et ceteris quoque hominibus, quos vel ex officio justitiae et charitatis, vel ex mera liberalitate juvare possit, consequens est, ut si industria sua per legitimos modos divitias supereffluentes acquirat, earum dominus jure constituatur, deque iis ex sententia jus disponendi habeat. Quemadmodum autem *inter vivos* donationes vel filiis vel nepotibus, vel quibuslibet hominibus aut publicis beneficentiae institutis valide fieri possunt, quae post donantis mortem effectum sint habiturae et usque duraturae; ita

eodem jure fieri possunt donationes *mortis causa* et per testamenti factionem. *Possum enim* (ut recte ait Grotius Op. cit. l. I. c. 6. §. 14) *rem meam alienare non pure modo, sed et sub conditione, nec tantum irrevocabiliter, sed et revocabiliter atque etiam retenta interim possessione et plenissimo fruendi jure. Alienatio autem in mortis eventum, ante eam revocabilis, retento interim jure possidendi ac fruendi, est testamentum.* Igitur probabilior sententia haec videtur, quod quamquam testamenta formam certam accipere possint a jure civili, tamen a jure naturae vim suam habeant.

Haec ad quaestionis speculativae indolem cognoscendam satis esse arbitror; at quid censendum est de practico criterio? Quaeritur, inquam, an testamentum solemnitatibus jure civili praescriptis destitutum (1), sicut in foro externo nullum est, ita in foro interno nullum quoque habendum sit: adeo ut haeres *ab intestato* qui ex judicis decreto in testatoris bona succedit, teneatur omnia haec haeredi et legatariis in testamento hujusmodi scriptis ex conscientiae obligatione concedere: an potius retinere sibi jure possit. Nonnulli putant alteram hanc de criterio practico quaestionem, ab illa speculativa disquisitione pendere. Permagni momenti quaestionem esse ait Genuensis utrum successio testamentaria ex jure naturae sit vimque habeat, an a civili; et hanc affert rationem: *nam, inquit, si ex jure civili est, possunt legibus civilibus invalidari testamenta, aut permutari ejus voluntate, qui reipublicae praeest cum imperio.* Equidem concedo, quod si omne jus testandi nonnisi ab institutionibus juris communis et a positivis legibus originem sumeret, tunc minime dubitari posset, quin testamentum, cui desunt solemni-

(1) In Romano testamento, ut monet Genuensis, duo sunt praecipua solemnitatum genera servanda, intrinsecae videlicet et extrinsecae. Intrinsecae solemnitates institutione idonei haeredis ferme continentur: reliquae ex formulis testamentorum inductae, ut numerus testium, ratio scribendi, charta, etc., extrinsecae appellantur. Nihil hic dicam de testamentis etc. *ad causas pias*, quorum privilegia quanta ratione inducta sint, vide apud Genuensem *Diceosina* l. I. c. 12. §. 9. et sequentibus.

tates a positivo jure praescriptae, nullum omnino sit in utroque foro, nam ea tantum ratione et modo subsistere posset jus testandi, qua ratione et modo id ab institutionibus illis conceditur. Ceterum criterium practicum independenter omnino a completa quaestionis speculativae solutione certo statui posse contendo. Quamquam enim probabilior mihi videatur sententia Grotii de origine hujus juris a natura potius quam ex positivis institutionibus repetenda; tamen non equidem perdifficilem hanc quaestionem de qua a summis viris hinc inde disceptatum est et adhuc disceptatur, definire praesumo: hinc practice quisque inferre jure poterit, rem non admodum perspectam plerisque videri: ideoque si ex certa quaestionis hujus solutione sequeretur certam haberi obligationem conscientiae in prima sententia; aut in altera, nullam prorsus esse obligationem; in nostro casu graviter admodum dubia haec obligatio foret. Quibus positis (ut rectissime monet s. Alphonsus De Ligorio, idque cohaeret cum criteriis in tractatu generali a nobis positis) hoc dictamen practicum statui certo potest: *in re solide dubia potius omni jure esse jus possessoris*, scilicet in nostro casu jus haeredis *ab intestato*, qui posita testamenti scripti nullitate, successit in haereditatem universam (1).

Praeterea etiamsi pro certo habeatur jus testandi a natura derivari, attamen dico, quod si in foro externo nullum sit testamentum, nullius itidem momenti est in foro conscientiae. Etenim testamentum, et omnes donationes *mortis causa* habent rationem contractus. Jam vero quilibet contractus humanus in civili republica cum hac tacita conditione initur, scilicet, nisi aliter a suprema Potestate praecipiatur. Cum itaque suprema Potestas ad reipublicae bonum quasdam so-

(1) Notandum est autem cum eodem s. Alphonso, quod si nullitas testamenti perspecta non fuerit, et cum haeres designatus haereditatem, tum legatarius legatum bona fide acceperint, ex eodem criterio non tenentur ii restituere *haeredi ab intestato*, nisi accesserit sententia judicis cui parere omnino debent.

lemnitates et leges in testamenti factione necessario adhibendas esse sanciverit; sequitur, iis deficientibus, testamentum natura sua nullum omnino esse: neque ullam obligandi vim habere. Confirmari idem potest *ab absurdo.* Si enim in conscientia teneretur haeres *ab intestato* haereditatem et legata solvere haeredi ac legatariis in testamento invalido designatis, dicendum esset, sapientissimas juris civilis sanctiones aequitati naturali in re apertissima repugnare: illae enim haeredi *ab intestato*, quem ex justitia nihil sibi retinere posse palam cognoscerent, jus in omnem haereditatem tribuunt, quod haeredi aliisque in testamento scriptis denegant. Et quod magis absurdum est, in rem manifestissime iniquam in hanc scilicet, ut falso supponitur, honestati justitiaeque contrariam saecularium Principum agendi rationem, passim frequentatam ac sancitam, Ecclesiae tribunal nunquam animadvertisset.

ARTICULUS III.

De contractibus onerosis.

§. I. *De natura contractuum hujusmodi cum in genere tum in specie.*

Si quis rem suam in alterius proprietatem aut in usum concedat, aut aliquid in ejus utilitatem se facturum promittat sub hac conditione, ut alter aliquid ei de suis rebus se daturum, aut opera sua facturum spondeat; tunc contractus diversam a superius expositis naturam induunt, aliisque nominibus designantur: omnes autem in genere *onerosi permutatorii*, aut *bilaterales* indiscriminatim appellantur. Contractibus hisce permutatoriis (ut ait Genuensis Elem. Metaph. T. IV. de principiis legis nat. l. 2. c. 8. §. 1.) « tres causae » originem fecere: dominia, nostri immoderatus amor, et re- » rum ad vitam necessariarum non ubique eadem copia. Nam » primum cum res in proprietatem hominum devenerunt, ab

» earum usu ceteri omnes, praeterquam possessores, sunt » exclusi; ergo ubi earum rerum indigent, ad commercium » et contractus confugere debent. Deinde si inductis domi» niis, tanta esset hominum erga homines charitas, ut nihil » quod aliis deest, non statim a locupletioribus suppedita» retur, commercio et contractibus locus non esset. Tandem

. . . . non omnis fert omnia tellus
Hic segetes, illic veniunt felicius uvae.

» Ergo inde quoque factum est, ut dissitae nationes rerum » commercia inter se instituerint, ut earum rerum, quibus » ad usum vitae indigebant, sibi copiam pararent ».

Jam vero contractus omnes onerosi seu bilaterales hac generali formula comprehenduntur, scilicet: *do ut des: do ut facias: facio ut des: facio ut facias;* quorum alii nullo peculiari titulo designantur, et *innominati* dicuntur; alii proprium quoddam nomen ac titulum habent. Prima autem et ad naturae simplicitatem magis accomodata contractus quosque bilaterales ineundi ratio est ipsa rerum et operum permutatio: sicut in Homero Glaucum et Diomedem arma permutantes videmus, et Tacitus de moribus Germanorum c. V. ait *interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur:* atque hisce permutationibus omnia contractuum hujusmodi genera conficiebantur: vel enim rerum dominia invicem transferebantur, vel res in usum concedebantur, vel operae operis, aut mercibus compensabantur. Post inventam autem pecuniam, quae res omnes et operas in hominum commercio positas reprehesentat, eaedem rerum et operum permutationes per pecuniam passim confici consueverunt.

Quemadmodum vero ex diversa contractuum unilateralium natura et ratione diversas eorum classes distinximus, ita quoque bilaterales ad certa capita distribui debere reperitur. Primum itaque contractuum bilateralium genus est rerum, quae in contrahentium dominio sunt, reciproca translatio, quae perficitur vel per ipsam mercium *permutationem*, utpote cum frumentum vino permutatur; vel per *emptionem*

et venditionem: *emptio* enim *est contractus, quo pretium pro merce solvitur, completurque mercis solutione:* e contra venditio. Porro aliud genus constituunt ii contractus in quibus aliquid damus vel promittimus, ut ab altero rerum suarum usum consequamur: quod si res istae usu ipso non absumuntur habetur *locatio et conductio.* Locatio enim definitur *contractus, quo quis personam, vel rem aliquam mobilem vel immobilem alteri ad tempus utendam vel fruendam concedit; certo pretio aut mercede, seu pensione constituta. Utenda conceduntur elocata domus, equus, servus etc: fruenda conceduntur elocatae vaccae, capra, fundus, pomarium* etc. (Busembaum). Quare sub hoc locationis genere non solum res ad usum vitae necessariae, neque solum servorum, agricolarum, et mercenariorum omnium operae continentur; verum etiam nobiliora quaeque bonarum artium et munerum uti magistrorum, medicorum, causarum patronorum opera, quibus honorarium praestamus, uno verbo omnes contractus, qui sub formula *do ut facias; facio ut des* ad locationem et conductionem facile referuntur. Sin autem eas res quae usu ipso absumuntur vel alienantur, uti frumentum, pecunia etc. alteri ad certum tempus utendas concedimus, certo lucro ultra sortem constituto, tunc alius contractus aliquatenus diversus habetur, qui pro diversa ratione rei et pecuniae collocatae diversa obtinet nomina, de quibus infra singillatim disseremus. In his omnibus contractibus certa quaedam res vel opera promittitur, ut certa itidem res vel opera pro compensatione recipiatur. Est autem et aliud contractuum bilateralium genus, qui fiunt ad lucrum obtinendum utrique contrahenti incertum. Hi omnes ad quatuor species reducuntur: prima est *societas negotiationis*, qua res et operae in commune conferuntur, ut exinde lucrum aut damnum communicetur; altera est *assecuratio mercenaria*, qua quis, certa mercede constituta, rei alienae periculum in se suscipit: tertia species est *census vitalitius* quo aliqua res emitur, constituta annua pensione ad vitam alienantis solvenda; quartam tandem constitu-

unt ii omnes contractus qui *aleatorii* dicuntur idest *ludi* et *sponsiones*. Ludus autem a moralistis et jurisperitis intelligitur contractus, quo ludentes inter se conveniunt, ut victori cedat quod uterque deposuit; aut victus aliquid victori solvat aut faciat in ejus utilitatem: sponsio porro est contractus in quo duo de veritate aut eventu alicujus rei certantes sibi invicem aliquid spondent, ut id ei addicatur qui veritatem assecutus fuerit. En varia contractuum bilateralium genera. Non equidem amplissimam hanc materiam per partes evolvendam assumo; sed sicut philosophiae elementa postulant, scientiae criteria tantum tradere debeo, quae a studiosis ad praxim facile deducantur. Cum autem de iis conditionibus, quae cuivis contractui etiam gratuito communes sunt, jam in generali tractatione disseruerim, superest ut quaedam tantum quae bilateralium propria sunt declaremus. Primo itaque quilibet permutatorius contractus ratus et in tota sua vi extare censendus est, statim ac inter partes plene convenit: *non enim pretii numeratio* (ut recte ait Ulpianus L. 2. de *contrahenda emptione*, quod quidem ceteris etiam permutatoriis contractibus, ni aliud civili jure cautum, aptari pariter debet) *non enim pretii numeratio, sed conventio perficit sine scriptis habitam emptionem*. In consensu enim contractuum essentia est. Cum autem cujuscunque contractus permutationis aestimatoriae perfecta aequalitas sit conditio prima et characteristica, antequam de ea disseram praemittendum censeo, quod perspecte animadvertit Genuensis l. I. de off. c. XVI. §. 15. « Est » autem (inquit) permutatio duplex, simplex, et aestimato- » ria. Si neutra res aut opera aestimetur, neutri pretium » statuatur ullum, simplex dicetur: si vero utriusque pretii » ratio ineatur, aestimatoria. Prima reciprocae donationi, » altera emptioni venditioni persimilis est. In priori non exi- » gitur aequalitas inter datum acceptumque: quia alter alteri » donare censetur. Neutra ergo pars (modo dolus malus absit) » de laesione conqueri potest, nisi admodum pueriliter. Con- » tra in aestimatoria plena aequalitas est servanda. Quare

» si quis non modo dolo malo, sed aut per ignorantiam,
» aut per errorem, aut quacumque ex causa laesus fuerit,
» ut non acceperit datis aequalia, in integrum restitui de-
» bet: quia in hisce contractibus neuter alteri donare quid-
» quam vult: juris autem nostri tantum in alterum transfer-
» tur, quantum nos, qui domini sumus voluerimus ».

§. II. *De rerum et operarum pretio.*

Cum in omnibus contractibus permutationis *aestimatoriae* perfecta aequalitas inter datum et acceptum ad amussim servanda sit, considerare accurate debemus qua ratione haec dimetiri possit. Jamvero aequalitas ista, ut cuique perspicuum est, neque numero, neque pondere, neque mensura determinari recte potest: non enim decem oves e. g. cum decem bovibus, nec tres librae auri cum tribus plumbi, aut quinque cubiti telae sericae cum totidem vilis panni cubitis aequiparantur: igitur aequalitas hujusmodi in *aestimatione*, *pretio*, seu *valore* tantummodo habetur; idest in aequalitate *proportionali* (quam Aristoteles *ισον αναλογον* appellat); ita ut tanti valeat quod ego alteri do aut facio, quanti valet id quod is mihi det aut faciat. Itaque ut haec rerum et operum collatio recte instituatur, necesse est ut diligenter examinemus unde rerum et operum valor derivetur, et quomodo valoris gradus determinetur (1).

Vocabula ista *valor*, *pretium*, *aestimatio* juxta communem hominum computationem accipiuntur in sensu relativo, scilicet eatenus rem aut operam *valere* dicimus, quatenus haec nostrae indigentiae utilia sint: res enim quae nullam afferunt utilitatem, aut si utiles sint, tamen suppetunt omnibus, sicut aer et aqua, nihili prorsus aestimantur: ergo indigentia nostra fons est et origo, unde res omnes quae ei satisfaciant apud nos aestimentur et valeant: quapropter rerum va-

(1) Sequar in hac analysi doctrinam Antonii Genuensis, quam sapientissime tradidit in libris de officiis, in Diceosina, ac praesertim in opere cui titulus *Lezioni di commercio* P. II.

lor et pretium definiri recte potest *potentia satisfaciendi nostris indigentiis*: atque inde earum valor eo major vel minor censetur, quo major vel minor sit in eis potentia satisfaciendi nostris indigentiis. Jam vero haec proportio dependet tam ex efficacitate bonitate et duratione istius potentiae, quam ex numero et gravitate indigentiae humanae. Res enim quae pluribus et gravioribus desideriis ac necessitatibus prosunt, quaeque melius, et pluries ac longiori temporis spatio prosunt, magis in pretio habentur. In quo tamen illud considerari debet, non solum eas censeri graves necessitates quae natura sua tales sunt quemadmodum est necessitas manducandi et bibendi; verum etiam in hominum aestimatione illae saepe gravissimae habentur quae consuetudine, et habitu sunt acquisitae. Cum autem termini hujusce proportionis in immensum variari possint, hinc necesse est, rerum quoque valor itidem immutetur: quare si ceteris paribus, indigentiae augeantur, e. g. eadem posita frumenti, vini etc. quantitate, duplex evadat numerus civium, duplex quoque fit frumenti, vini etc. valor; quod item eveniret si melior fieret rerum qualitas: contra vero si populus decrescat, stantibus iisdem rebus, earum itidem decrescit valor. Itaque rerum et operum valor est in ratione valde complexa, et ut Mathematici ajunt, valor est in ratione composita *directa* quantitatis et qualitatis indigentiae, *directa* quoque efficaciae, bonitatis et durationis rerum et operum, quae iis satisfacere possunt; *inversa* autem quantitatis ipsarum rerum et operum. Eademque ratio servanda quoque est cum valorem unius generis rerum, cum alterius valore comparamus, utpote valorem frumenti relate ad valorem ferri, olei etc., aut operas bajuli, aut fabri cum operis agricolarum etc. conferimus.

In exordiis nationum primi homines simplicius viventes nonnisi hac reciproca rerum collatione et permutatione usi sunt, ut cederent aliis quae sibi superflua erant, vicissimque acciperent ea quibus opus haberent. Verum cum primitus

nondum rerum omnium collatio et aestimatio omni ex parte cognita et perspecta eis esset, hinc primaeva commercii ratio potius per mutuam donationem, quam per *aestimatoriam* permutationem exercebatur. Aucta vero hominum multitudine, et commercii necessitate magis cognita et propagata, paulatim rerum aestimatio accuratius agnita, et eas permutandi ratio ad aequalitatem redacta est. Neque aliud initio commercii genus in usu fuit nisi hoc *vulgare* ut dicitur, seu per aestimationem ac pretium *vulgare*, quo nempe res rebus, vel operae operis aut rebus aestimabantur et permutabantur: nondum res ulla eminentis valoris inventa fuerat, quae ceteras in commercio positas reprehesentaret ac permutaret, quemadmodum etiamnum in populis sylvestribus videre est.

Haec quidem permutandi ratio perexigua admodum erat, et ad omnia sibi comparanda, quae in varios vitae usus et commodum necessaria sunt, non satis apta: si quis enim ex. gr. magnam lignorum aut pomorum copiam haberet, careret autem frumento, vino, ceterisque rebus, quas usus vitae postulat, non tam facile invenire poterat, qui lignis et pomis indigeret, ut superfluas haberet omnigenas res, quas lignis vel pomis permutaret. Necessitas igitur hominibus persuasit ut *mediatis* permutationibus uterentur, ut scilicet qui superflua haberet, ea permutaret aliis rebus, quibus ipse non indigebat, sed quae facile huc illuc sine detrimento transferri possent, et quae alibi magno in pretio forent, unde ea omnia, quae vellet sibi compararet. Hinc nomades, seu pastores errantes animalibus pro *moneta* utebantur: itemque in Pentateuco legimus agros tot ovibus aestimatos fuisse, et in Homero tot bovibus. Neque alia de causa post *monetae* inventionem Haebraei, Phoenices, Graeci, Romani in ea animalium imaginem insculpserunt: atque a Latinis moneta *pecunia* dicta est, et patrimonium *peculium*. Populi quoque agricolae iis terrae frugibus, quae in majori pretio passim haberentur

pro moneta usi sunt (1). Postquam vero metalla sunt inventa, cum aes et ferrum ob eorum utilitatem ad omnes artes tam domi, quam belli maximo in pretio apud omnes haberentur, cumque peregre huc et illuc sine eorum damno facile transferri possent; hinc factum est, ut aes et ferrum peropportuna visa sint ad quaelibet permutanda: quare vetustissima Spartae moneta ferrea fuit, Romae autem *aes grave*. Argentum autem et aurum quamquam non ad usus vitae necessarios, sed veluti lapides pretiosi ad templorum splendorem, et ad regum et principum aulas ac personas decorandas inservirent; brevi tamen mirandum in modum adeo ab omnibus avide expetita et in tanto pretio sunt habita, ut vel ipsis rebus, quae ad vitam pertinent, praeferrentur: et in commercio pretii *eminentis* valorem obtinuerint. Itaque Supremi Principes, quibus reipublicae cura commissa est, ad removendas malorum hominum fraudes, quorum aviditati et astutiae latissima patefacta via erat per haec splendidissimorum metallorum commercia, mercis hujus *eminentis* rationem suis legibus temperandam esse sanxerunt. Quaedam ergo metalla elegerunt, quibus res omnes, et operae, quae in commercio sunt, reprehesentari, et permutari tantummodo possent, eaque certo pondere, qualitate, nomine, et publico charactere insculpto rata et valida esse jusserunt (2). Quare aurum, argentum etc. Prin-

(1) « I popoli agricoltori si servirono così degli anzidetti anima-» li, come delle derrate più comuni in iscambio di moneta. Anche » oggigiorno in alcuni luoghi delle Indie orientali il Mais, che noi chia-» miamo il grano d'India, serve di moneta. Gl'Inglesi in tutta l'Africa » usano il tabacco in vece di moneta, e gli Olandesi la cannella in tutto » l'oriente » ec. Genovesi l. cit. c. 2. §. 12.

(2) « Se dunque si riguarda alla moneta in quanto è tale, ei debb' » esser manifesto, che ella fra noi si possa definire così: *È un pezzo di* » *metallo di determinato peso e finezza, d'un dato nome, che ha un dato* » *valore numerario, con pubblico impronto, per servire d' istrumento a* » *misurare il valore di tutte le cose, e di tutte le fatiche, le quali sono in* » *commercio*. Dicesi *un pezzo di metallo* per designare la materia. Di-» cesi *d'una data finezza*, per esprimere, che nè le monete d'oro ordi-» nariamente son di puro oro, nè quelle d' argento di purissimo ar-» gento, ma che in esse vi sia sempre della lega d' inferior metallo. Di-

cipum auctoritate cusa et notata praeter intrinsecum metalli valorem, alium hunc *numerarium* et *civilem* acquisiverunt, unde fierent generalis rerum omnium et operum mensura, atque eminens et communis merx ad permutatorios quosque contractus facilius, et securius perficiendos.

At enim quisnam rem adeo implexam et perdifficilem explicare, intrinsecum inquam rerum omnium et operum pretium internoscere, ac certo determinare valeat, et ad communem monetae mensuram adeo perspecte referre, ut ad mercenariorum omnium usus rei cujusque valor aperte pateat? Nullus certe de pretio rerum dari potest judex competentior et certior, quam publica populi ipsius vox et aestimatio; populus enim et sentit indigentias, et res omnes eisdem satisfaciendo pares in commercio positas videt, et expendit. Quare e. g. quotannis in publicis nundinis aut cameris commercii singularum rerum et operarum valorem ad monetae computationem relatum omnibus certum perspectumque videmus, Ceterum non id ad amussim mathematicae purae, quod impossibile prorsus in rebus hisce humanis foret, sed morali criterio computatum latitudinem quamdam habet, quae a jurisperitis in tres gradus distinguitur, scilicet pretii *infimi*, *medii*, et *summi*. Contractus autem permutationis *aestimatoriae*, qui limites istos non excedunt, juxta aequitatem facti esse censentur. Quibus positis, perfacile cuique erit ad proportionalem aequalitatem contractus omnes bilaterales redigere, Omnes inquam; non solum enim aequalitas haec geometrica necessaria est in contractibus emptionis venditionis, locationis conductionis etc., verum etiam in iis, quos superius recensui, quique sunt exitus incerti et aleatorii. Quibus aptari recte possunt, quae de contractu societatis praeclarissime disserit

» cesi *d'un dato nome e valor numerario*, per significarne il valore e-
» strinseco e civile. S'aggiunge *essere istrumento da misurare il prezzo*,
» per ispiegarne il fine. Finalmente l'aver *un impronto pubblico* è il co-
» stitutivo specifico della moneta, il cui fine è d'assicurare i popoli a
» nome del sovrano del giusto peso, e della giusta bontà della moneta ».
Genov. l. c.

Genuensis De offic. l. I. c. 16. §. 23. « Societas (idem dicito » de *assecuratione mercenaria*, de *censu vitalitio*, de *ludis* et » *sponsionibus*) consensu partium initur : ergo omnis abesse » debet dolus malus, omnis vis, omnis praepotentia, omnis » inaequalitas. Quisquis enim paciscitur cum altero, eo in pa- » cto, totoque contractu aequalem illi personam gerit et ex » aequo contrahere debet : id naturae jura efflagitant. Si ex » una parte dubium sit lucrum, vel certum damnum; ex al- » tera certum lucrum, vel anceps damnum; aut certa saltem » indemnitas, non humana societas est, sed leonina. Est hic » contractus instar ludi, in quo ex utraque parte periculum » aequum sit oportet, aequa spes: minima inaequalitas na- » turae *ισον aequitatem* vitiat. Jam in damno vel lucro divi- » dendo, aequalitas posita est in proportione geometrica, ut » scilicet sit lucrum vel damnum unius partis ad bona, quae » contulit in commune, ut lucrum vel damnum alterius ad » bona quae praestitit. Ex. gr. tradiderit Titius 10, Cajus 30 » partes aequales; si lucrum sit 120, Titio 30, Cajo 90 de- » bentur : nam in proportione geometrica est 10 ad 30, ut » 30 ad 90. Quod si damnum fuerit 24; Titius feret 6, Ca- » jus 18 : quia est 6 ad 10, ut 18 ad 30. » Eademque ratione utendum est in reliquis supradictis aleatoriis contractibus.

§, III. *Utrum mutuum verti possit in permutatorium.*

Certum est apud omnes, pro donatione, commodato, deposito et mandato, qui omnes contractus natura sua gratuiti sunt, honestis justisque de causis alios idest onerosos jure institui posse, ita ut donatio vertatur in permutationem aestimatoriam, vel in emptionem et venditionem; commodatum in locationem et conductionem; depositum et mandatum in contractus innominatos *facio ut des; facio ut facias.* Quia in his omnibus aequalitas illa geometrica aestimationis et pretii hinc inde servari recte potest. Queritur autem an *mutuum* verti itidem possit in contractum permutatorium: utrum nempe qui frumentum, vinum, pecuniam, uno verbo res *fungibiles*,

quas vocant, alteri utendas certo tempore tradit, possit inde lucrum ultra *sortem* jure percipere ? In hac gravissima ac perdifficili disquisitione Benedictus XIV. criteria et limites sapientissime dedit encyclica, *vix pervenit*, edita anno 1745. Re itaque mature perpensa, et pluribus utriusque juris doctoribus ac theologis secum accitis, monet in primis, ut et a nimia severitate, et a nimia indulgentia caveamus. « Qui viribus suis (inquit) ac sapientiae ita confidunt, ut responsum ferre de iis quaestionibus non dubitent (quae tamen haud exiguam sacrae theologiae et canonum scientiam requirunt) ab extremis, quae semper vitiosa sunt, longe se abstineant. Etenim aliqui tanta severitate de iis rebus judicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia desumptam accusent tamquam illicitam, et cum usura conjunctam. Contra vero nonnulli indulgentes adeo remissique sunt, ut quodcumque emolumentum ab usurae turpitudine liberum existiment. Suis privatis opinionibus ne nimis inhaereant; sed priusquam responsum reddant, plures scriptores examinent, qui magis inter ceteros praedicantur. Deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione tum auctoritate plane confirmatas intelligent. Quod si disputatio insurgat, dum contractus aliquis in examen adducitur, nullae omnino contumeliae in eos confingantur, qui contrariam sequuntur, neque illam gravibus censuris notandam asserant ». Atque ipse sapientissimus Pontifex expresse profitetur, se de illo ipso contractu, qui novas controversias excitaverat nihil omnino statuere, nihil etiam decernere de aliis contractibus, pro quibus theologi et canonum interpretes in diversas abeunt sententias. Itaque ad removendam damnabilem laxitatem tres canones ponit I. *Vi mutui ipsius*, idest contractus suapte natura gratuiti, nihil omnino ultra *sortem* percipi posse: id enim fidei datae et acceptae prorsus repugnaret (1) II. Quod si, se-

(1) « Peccati genus illud, quod usura vocatur, quodque in contractu mutui propriam suam sedem et locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura tantumdem

cluso mutuo, alium diversae naturae contractum aequitati per se non repugnantem inire quis velit, caveat ne pauperibus et calamitosis gravia haec onera imponat, quod contra charitatem foret. *Multis enim in casibus tenetur homo simplici ac nudo mutuo alteri succurrere, et similiter multis in circumstantiis praeter unum mutuum, alteri vero justoque contractui locus esse non possit* III. Tandem, si vero justoque contractui locus sit, et justi adsint tituli et rationes pecuniam, frumentum, aliudve id genus apud aliquem ita collocandi, ut lucrum inde percipiatur, cavendum quoque est, ne lucrum hujusmodi excedens et nimium sit, sed moderatum esto, scilicet juxta receptam consuetudinem, peritorum aestimationem, aut legum praescriptionem. Id enim contractuum bilateralium omnium proprium est, ut aequitas hinc inde adamussim servetur. Quibus vitiis declinatis, criterium hoc philosophiae ac theologiae apprime consonum contra rigoristas posuit: « posse multoties » pecuniam ab unoquoque suam per alios diversae prorsus » naturae a mutui natura contractus, recte collocari et im- » pendi, sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive » etiam ad licitam mercaturam et negotiationem exercendam, » honestaque indidem lucra percipienda ». Pro certo igitur habendum est, de rebus usu *fungibilibus* jure institui posse contractus quosdam permutatorios sive innominatos, qui respondeant formulae *do ut des*, sive proprio nomine designatos; sicut communi sapientium suffragio est *cambium* sive *minutum*, sive *per literas*, sive *reale* ut ajunt; itemque *census realis*, nec non (quam multis adductis auctoritatibus et rationibus tamquam *probabiliorem et communiorem sententiam* tenet s. Alfonsus De Ligorio) *census personalis*, isque ex utraque parte *redimibilis* (1). Dummodo tamen in his ac similibus con-

» dumtaxat reddi postulat, quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quam est receptum: ideoque ultra sortem lucrum aliquod, ipsius » ratione mutui, sibi deberi contendat. Omne propterea hujusmodi lu- » crum quod sortem superet, illicitum et usurarium est ». Benedictus loc. cit.

(1) « Cambium quod permutationem significat, hic accipitur pro sola

tractibus justi tituli et rationes lucrandi dentur, et aequitas hinc inde sarta tectaque sit. *Tituli* autem varii esse possunt e. g. periculum amittendae sortis, impensae, labores, lucrum cessans vel damnum emergens (1). Ceterum quaestio admodum salebrosa atque hac nostra aetate magno animorum ardore rursus exagitata in eo est; utrum nempe, remoto omni periculo amittendae *sortis*, ei qui animum negotiandi non habet, sed in suo scrinio superfluam pecuniam servat, liceat nec ne cum altero qui pauper non sit, inire contractum permutatorium innominatum *do ut des*, ut scilicet, tradita ad certum tempus quadam pecuniae summa ad ejusdem libitum utenda, *fructum*, seu *lucrum*, seu *interesse* juxta receptam commercii consuetudinem taxatum, transacto tempore recipiat?

» permutatione pecuniae. Et est contractus, quo campsor aliquis cam- » psario volenti cambit pecunias, cum lucro aliquo praeter sortem. Cam- » bium *minutum* est cum dantur pecuniae minores pro majoribus e. g. » argenteae pro aureis ec. Cambium *per literas* dicitur cum campsor » ex. gr. Romae prior accipit pecunias, quas postea datis literis alibi » ex. gr. Mediolani refundit per suos factores. Cambium *reale* est vice- » versa cum campsor hic ex. gr. Romae dat pecunias, ut per suos alibi » eas recipiat a campsario.

» *Census realis* est cum certa summa pecuniae ex. gr. 100 florenis » emo a te jus percipiendi quotannis ex bonis tuis, aut certa aliqua re » tua utili sive fructifera certam aliquam pensionem seu censum ex. » gr. florenos 5, vel 6 annuos prout consuetudine vel lege taxatum erit. » Census *personalis* vero est ille, qui constituitur immediate super per- » sona, quae sua opera et industria utilis est et fructum aliquem pa- » riat. Ex Boussembaum.

(1) Notanda est Antonii Genuensis opinio contra receptissimam doctorum sententiam, qui l. I. de off. c. 16. §. 10 ait « Certum item esse » debet, me saltem auctore, nihil omnino licere capere ex mero periculo » sortis principalis: nam periculum suppeditat mihi causas cavendi de » sorte: sed ea restituta, periculum evanescit: quod vero nihil est, ut » nullum mihi jus praestare potest, ita nullum factum firmare ». Attamen contra censendum est: nam exponere se tali periculo vere est pretio aestimabile. Certe nemo sane negaverit *assecurationem mercenariam* per se licere: in ea autem nulla alia de causa lucrum percipitur nisi ob susceptum in se alienae rei periculum. Quod ab Innocentio X die 12 sept. 1645 expresse per haec verba confirmatum est « Ratione mu- » tui immediate et praecise nihil esse accipiendum ultra sortem prin- » cipalem: si vero aliquid accipiant ratione periculi probabiliter immi- » nentis . . . . non esse inquietandos, dummodo habeatur ratio quan- » titatis periculi etc. »

Adest duplex sententia altera affirmativa, negativa altera; quarum ego praecipuas rationes brevissime exponam, integrum cuique relinquens eam, quae magis placeat, amplecti. Postremo autem, seposita speculativa disquisitione, criterium practicum tradere curabo.

Praecipua eorum omnium, qui affirmativam tenent sententiam (1), argumenta ad tria capita reduci posse videntur, ad intrinsecam contractus hujusce aequitatem, ad liberam lucrum promittentis voluntatem, et ad supremae civilis Potestatis decreta. Primo itaque ajunt licere lucrum aliquod ultra sortem pacisci et exigere, quia in hujusmodi contractu ea ipsa aequalitas servatur inter datum et acceptum, quae in ceteris contractibus permutatoriis habetur. Antequam vero intrinsecam contractus hujus naturam examinent, ita a posteriori ratiocinantur. Certum est, rectum valorem seu pretium rerum quae in commercio sunt expendendi rationem esse publicum populi testimonium: atqui nihil exploratius est penes omnes populos, qui commercium exercent, quam qui suam pecuniam alteri utendam, fruendam, negotiandam concedit, eum aliquid lucri ultra sortem mereri. Quemadmodum ergo rectum censetur lucrum rerum quae venduntur, locantur etc. publica commercii aestimatione determinatum; ita censendum esse videtur de hujusmodi pecuniae apud alios collocatione. Sin autem rem penitus consideremus, aperte apparebit (inquiunt) duplici de causa, traditionem hanc suae pecuniae alteri factam esse pretio aestimabilem ideoque quodam moderato lucro dignam, scilicet tum ratione privationis propriae, tum ratione utilitatis alteri concessae. Enimvero qui ad quin-

(1) Affirmativam sententiam, ut alios praeteream, copiose defendunt Grotius l. II. de jure Belli et Pacis. c. 12., et commentario in Lucam c. 6.; Claudius Salmasius de foenore et usuris; Gerardus Noodtius de foenore; Boëdersen ponderosissimo opere de licitis et illicitis usuris, Maffejus Eques Veronensis in opere *dell'impiego del denaro*, Antonius Genuensis in Dicaeosina, in lib. de officiis, et in opere Lezioni di Commercio P. II. Joannes Vincentius Bolgenius in diss. *sull'impiego del denaro*, et Ab. Mastrofinius in opere *delle Usure* ec.

quennium ex. gr. interposita fidei promissione se spoliat mille numismatibus, ut ea alteri utenda concedat, ipse se privat facultate eadem negotiandi, vel collocandi apud campsores vel in publicis institutis (ex. gr. *nella Cassa dei risparmii, in consolidati*), aut etiam iis ad libitum utendi: haec igitur privatio rei utilis est quidem pretio aestimabilis. Praeterea *omnis temporalis commodi pretium potest numismate mensurari* (ait s. Thomas): jamvero evidens est, eum qui pecuniam suam alteri utendam fruendam negotiandam credit, *temporalem commodum* eidem afferre: haec igitur commodi ratio est *mensurabilis numismate.* Et sane quanam de causa, qui alteri suum currum, equum, vestem, vasa aurea et argentea locat, eum, praeter minimam rei locatae consumptionem, pensione seu lucro quodam jure compensari posse, censemus? quin etiam cur lucrum ultra sortem itidem ei deberi omnes affirmant, qui magnam pecuniae vim in saccis vel capsis inclusam campsori vel negotiatori cuilibet locat, ut in suo telonio, et camera commerciaria ad pompam ostentet? cur, inquam, nisi et ratione privationis rei utilis, et ratione commoditatis utilitatisque alteri concessae?

At enim, qui animum negotiandi non habet (ajunt oppositae sententiae patroni) nihil detrimenti capit ex traditione suae pecuniae alteri facta. Verum respondent e contra, primo id nimis probare: nam ne diviti quidem, qui suam villam aut aedem vacuam tenet, neque in animo habeat eam locare, unquam liceret lucrum ullum percipere, si tandem victus alterius obsecratione illi habitandam concederet. Dein vero si hodie firmissime in animo habeo pecunia mea nullimode uti, attamen voluntas variabilis est, et mille rationes insperato dari possunt, mille casus accidere, qui a meo me proposito removeant; quibus satisfacere amplius nequeo, si me per dictum quinquennium jure ea utendi privaverim. Tandem si cetera desint, ratio tamen commoditatis semper adest: Atqui » certum est (ait Genuensis de offic. l. I. c. 16. §. 11.) omne » commodum, quod alteri efficimus, pretio aestimari posse:

» quia pretium ex commodo, ut diximus, et utilitate nasci-
» tur: nihil enim aestimatur, aut pretio habetur, quod quo-
» quo modo non sit utile, et eatenus aestimatur, quatenus
» est utile ».

Ex altera vero parte rationes potissimae, quae afferuntur duae sunt. Primo enim, dicunt, iniquum esse, ex pecunia, quae per se sterilis est, fructum exigere: hoc enim idem est ac ex alterius bonis locupletiorem fieri. Secundo autem etiamsi ob alterius industriam utilitas quaedam ex pecuniae negotiatione oriatur, iniquum itidem esse ajunt, ex aliena industria et de alieno fundo lucrum percipere. Exploratum namque est, traditione pecuniae, quae usu ipso alienatur, necessario ejus dominium ab altero in alterum transire. Verum ad primum argumentum de pecuniae sterilitate respondent distinguendo, sterilem quidem esse pecuniam juxta propriam vocabuli hujus significationem, quatenus frugifera non sit, quemadmodum arbores fructus faciunt, et animalia pariunt filios: negari autem non posse, multiplices utilitates ex pecuniae usu et negotiatione derivari, quae fructus appellari metaphorice possunt (1). Simili modo dicendum est de locata domo, vestibus, curribus etc., quae quamquam proprie fructus non edant, tamen utilia sunt, ideoque mercede, et pretio digna aestimantur. Ad aliud argumentum, quod gravioris ponderis est, dupliciter respondent. Primo enim ajunt: dato et non concesso, dominium pecuniae ex altero in alterum transferri, nihilominus rationem percipiendi aliquid lucri ultra sortem semper haberi, scilicet privationem rei utilis, et commoditatem atque utilitatem hanc alteri concessam; quae cum sint pretio aestimabiles, non ad aequitatis normam restitueretur, si una sors redderetur. Secundo loco eam dominii translationem Maffejus omnino negat, et hanc affert rationem. Etenim (inquit) quoties ego pecuniam alteri mutua-

(1) Maximam pecuniae vim, et utilitatem, quae ex commercii progressu in dies crescit viderc est apud Genuensem opere cit. c. 9, et apud alios recentiores oeconomiae scriptores.

tus sim, vel ad lucrum apud eum collocaverim, eam pecuniae summam adhuc partem mei peculii esse dico, ejus creditum vendere possum vel donare etc. Qui vero eam accepit, fatetur se *aes alienum* retinere. At enim respondent adversarii: indubium est quod *quaelibet res perit domino suo*: jamvero si pecunia in manus mutuatarii aut alterius cujusvis utenda ac negotianda tradita forte pereat, mutuatario etc. perit: ergo hic non ille pecuniae dominium habebat. Utraque sententia specie tenus vera videtur, cum autem sint propositiones invicem contradictoriae, necesse est, aut alterutram tantum veram esse, aut utramque aequivocationem continere et partim veram, partim falsam esse. Quare, ut perspecte ait Bolgenius, distinguenda est dominii *amissio* ab ejusdem *commutatione*: qui alteri rem suam donat, aut vendit, is ejus dominium prorsus amittit: qui autem vel pecuniam suam alteri mutuatur, vel per alios diversae naturae a mutui natura contractus collocat et impendit, is amittit jus dominii *in specie* seu *individuo*, in ea numismata, quae utenda ac negotianda dedit; retinet autem jus dominii in summam pecuniae aequalem illi, quam tradidit: quare dominium illud in numismata determinata commutatur *indeterminate* in omnia bona et jura illius qui accepit. Quemadmodum uxor amittit dominium in *specie* quoad illam pecuniae summam quam pro dote viro suo tradit, omnia autem viri bona vas fiunt illius dominii. Cum igitur falsum sit traditae pecuniae dominium amitti, hinc sublato fundamento, cui tota innitebatur eorum ratiocinatio: haec quoque tota una corruat, necesse est. Haec enim dominii trasmutatio non aufert jus percipiendi lucrum rei suae quando adsint aequi tituli et rationes percipiendi, quemadmodum in nostro casu evenit, ubi ratio privationis, et commoditatis traditae est, ut saepius dictum est, pretio aestimabilis.

Addunt praeterea lucri hujus patroni duo alia argumenta, quae paucis indicabo. Si quis permutatoriae aestimationis aequalitatem in contractu pecuniae ad lucrum percipiendum

plane perspectam non habeat; tamen ei sufficere deberet libera contrahentis voluntas lucrum ultra sortem promittentis: est enim tamquam axioma receptum illud, *volenti et consentienti non fieri injuriam.* Si quis ergo sponte promittat *auctuarium* aliquod ultra sortem ob pecuniae utilitatem sibi concessam soluturum, nunquid non licebit accipere? Enimvero si *auctuarium* non deberetur ad normam justitiae, nonne quisque rem suam jure donare potest? Si ergo in hoc contractu *aestimatoriam* permutationem haberi posse neges, concedas saltem *simplicem* permutationem, idest reciprocam donationem, quemadmodum omnes contractus permutatorios simplicius a veteribus initos fuisse accepimus.

Instant vero e converso ajentes; lucrum ultra sortem non sponte et ex corde, sed ex necessitate promitti; secus enim pecunia mutua vel nusquam vel raro sperari posset. Quibus respondet Bolgenius, in contractu pecuniae ad lucrum ineundo *minor* quidem est promittentis spontaneitas, quam si mutui vel donationis contractum iniret: at adest ea ipsa spontaneitas, quae sufficiens est ad valorem cujuscunque contractus bilateralis, in quibus libentius ex. gr. domus gratis habitanda reciperetur, quam soluto locationis pretio.

Denique tertium argumentum, quod affert Maffejus aliique ita se habet. Procul dubio supremi civitatum Principes ob eminens eorum in singula subditorum jura dominium jure possunt moderatum lucrum ultra sortem ratum efficere, si ad reipublicae bonum id conducere noverint. Atqui supremi omnes politiorum populorum Imperantes ad commercium promovendum peropportunum esse duxerunt, certis limitibus hujusmodi contractus ratos habere; idque vel *expresse* suis legibus (ut videre est apud Maffejum l. III. c. 4.), vel *implicite* (ut in praxi tribunalium ubique factitatur) sancitum videmus. Igitur si natura sua ex his contractibus lucrum percipi nequiret, ex auctoramento tamen Supremae Potestatis licere dicendum est. Neque dicant adversarii (subdit Bolgenius) id esse meram *tolerantiam*, non vero auctoramentum. Tolerantia enim

in iis tantum locum habet, quae adeo perversae naturae sunt, ut ne Principis quidem venia cohonestari possint. Secus autem Principum venia et approbatio pro vero auctoramento censetur, quemadmodum est in legibus *usucapionis* et *praescriptionis.*

Ex iis quae huc usque disserui, et qui sit controversiae hujus status, et quae praecipua hinc inde rationis argumenta afferantur, intellectum puto. Verum disquisitio ista, ut recte monet laudatus Benedictus *haud exiguam sacrae theologiae et canonum scientiam requirit,* ut divinae revelationis monumenta, et Ecclesiae decreta aequa lance pensentur: quod tamen theologis et canonistis totum relinquere debemus. Nihil ne igitur ad praxim certo statui posse censemus? Quamquam speculativa quaestio in suspenso relinquatur; tamen firmum conscientiae dictamen facile statui posse, puto. Si qui in perdifficili hac quaestione, de qua immortalis ille Pontifex (nam de hoc praecise contractu res agebatur) a sententia ferenda se abstinuit, et a quavis contumelia et censurae nota inurenda diversa sentientes deterruit, si qui, inquam viribus suis et sapientiae ita confidunt, ut negativam sententiam profiteri non dubitent; neque eos tot tantorumque virorum qui aliter sentiunt auctoritas moveat, certe eis nullimode liceret contractum hunc inire. Ceteris vero omnibus (nisi forte a legitima, Romani praesertim Pontificis, auctoritate expresse in posterum vetetur), utique licet, dummodo regulae omnes, quas in statu quaestionis ex Benedicti encyclica apposui, ad amussim serventur. Licet, inquam, non solum iis, qui persuasi sint de contractus hujus aequitate; verum etiam ceteris, qui vel dubitant, vel ignorant omnino quaestionis momenta. Idque duplici de causa evincitur, scilicet ratione, et auctoritate. Primo ex ratione. Quia argumenta superius exposita pro affirmativa sententia eam habent vim, quae saltem valde probabilem sententiam faciant. Porro quoad theologica vel canonica monumenta, satis nobis sit ita argumentari. Philosophi canonistae ac theologi doctissimi, qui haec diligentissime exa-

minarunt, omnem difficultatem se dissolvisse censuerunt, et affirmativam sententiam publice professi sunt, neque unquam ab Ecclesiae tribunali damnati sunt; imo Benedictus XIV. recepit dedicationem operis a Marchione Maffejo ei oblatam, atque etiam hic Romae de venia superiorum Ecclesiasticorum opus clarissimi Mastrofini typis impressum est. Igitur merito concludere possumus, rem saltem solide dubiam esse, imo contractus hujus aequitatem valde esse probabilem. Jamvero, posita hujusmodi probabilitate et dubii gravitate, rectissime effici potest hoc conscientiae dictamen *reflexum* tuto in praxi tenendum, (ut Tr. I. p. II. c. II. a. I. demonstratum est) liberum cuique esse quidquid libuerit facere.

Verum id ipsum expressis S. Sedis declarationibus pluries editis mirifice confirmatur. Ut enim cetera mittam, extant Apostolicae Sedis decreta et responsa cum per supremam Congregationem S. Officii, tum per S. Paenitentiariam facta Episcopis aliisque de hujus contractus aequitate dubitantibus, et de criterio practico in Christi fidelium conscientia dirigenda sciscitantibus. In his una eademque responsio est, qui hos contractus ineunt *non esse inquietandos, quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere.* Et ut de uno tantum dicam : quidam Denavit S. Theologiae doctor in seminario S. Irenaei Lugdunensis, qui ajebat *se denegare absolutionem iis, qui perceptis hujusmodi usuris, idest vi solius tituli legalis, nolunt restituere*, cum a S. Penitentiaria quaesivisset, *utrum durius et severius se haberet?* a Sacro Tribunali responsum est. « *Affirmative.* Quandoquidem ex dato a Sacra » Paenitentiaria responso liquet, fideles hujusmodi qui bona » fide ita se gerunt, non esse inquietandos (1) ».

(1) Videsis libellum tertio editum Pisauri ex typis Annesii Nobili 1834 in quo decreta haec et responsa collecta continentur.

CAPUT III.

DE SOCIETATE DOMESTICA

ARTICULUS I.

De societate herili.

Societas domestica ut recte monet Aristoteles (Politic. l. I. c. 1.) ex duabus societatibus constat conjugali nempe et herili, utraque ab ipsa natura praeordinata ac sancita. Non solum enim inter marem et feminam generationis et propagationis causa discrimen natura posuit, et velut in ceteris animalibus, ita in hominibus naturale indidit *desiderium, qualis ipse est, talem alterum relinquendi*; verum etiam societas herilis, natura magistra, inducta est propter conservationem et mutuam dominorum servorumque utilitatem: alii enim ingenio et prudentia praestantes naturaliter apti sunt ad imperandum: qui autem propter hebetudinem mentis dignoscere nequeunt quid sibi expediat, sed viribus corporis pollent ad exequenda ea quae sibi aliisque sint profutura, naturaliter apti sunt ad obediendum et serviendum (1). « Ex his duabus igitur (concludit Aristoteles) societatibus domus prima. » Recteque Hesiodus inquit: *domum in primis, mulieremque » et bovem aratorem.* Bos enim pro servo pauperibus est. Quotidiana igitur societas secundum naturam constituta domus » est » *scilicet domus est societas naturaliter instituta in ordine ad convictum quotidianum.* Idcirco eos qui vivebant in una domo *Charondas quidem* ὁμοσυπυες, quasi simul ex eadem arca penaria viventes, *Epimenides vero Cretensis* ὁμοκαπυες *appellat* quasi degentes ad eumdem fumum sive ad eumdem

(1) « Imperans vero natura, et parens propter consuetudinem. Nam » quod potest mente prospicere, natura imperat ac dominatur; quod » autem potest corpore hoc facere, paret natura et servit. Quapropter » domino et servo id confert. » Arist. §. 7.

ignem. Jam vero quod ad primam domesticae societatis partem attinet: duo genera servorum in jure naturali distingui debent; servi *ultronei* seu famuli, et servi *obnoxiae servitutis*, seu mancipia. Servitus ultronea ac domestica ea est, qua quis statuto stipendio operas suas locat vel indiscriminatim ad omnia vel ad quaedam peculiaria fideliter exequenda, quae ad familiae suae conservationem herus jusserit. Quare ex ipsa contractus hujus natura, ea inaequalitas inter famulum et dominum constituitur, qua fit ut herus evadat tamquam caput et paterfamilias, ceteri famuli in subjectione filiorum persimili supponantur. In quo famulitio praeter ea quae in quovis contractu necessario servanda generatim dicta sunt: haec cursim censeo adnotanda. In primis itaque non solum nefas est dominis famulos ad inhonesta, atque impia impellere, quin imo cura ipsis demandata est de religiosa ac morali servorum agendi ratione: id enim et herilitatis conditio, et universae familiae liberorum praesertim educatio ac rectio postulat ut benemorati, frugi, ac religiosi famuli habeantur; quod ad domini quoque, ac rei familiaris utilitatem summopere conducit. Tum opera rationabiliter exigenda ac justa praebenda sunt. Contra vero servi tenentur suis dominis amorem, reverentiam, et obedientiam praestare. Quod si famulus nulla heri culpa sed naturali tantum infirmitate aegrotaverit, aut invalidus fiat; tunc obligatio heri de stipendio pro operis praestandis constituto, statim ac servus impar sit eadem praestandi, per se desinit. At quaeritur an servis hujusmodi ad tempus vel determinatum vel indeterminatum conductis, teneatur saltem dominus alimenta, ceteraque ad ejus curationem necessaria exhibere? Certe vi contractus seu ex justitia nihil omnino debetur: humanitas autem et fidelis servitutis memoria suadet curam ejus agendam, aliquando etiam ex charitate dominus ad eam forsitan tenebitur, si famulus nempe esset in gravi necessitate constitutus.

Mercenariam ac domesticam servitutem honestam esse ac naturae consentaneam, nemo sane negaverit. Idem ne cen-

sendum est de servitute *obnoxia*? de ea inquam servitute, qua homines ita dominio alterius subjiciuntur, ut nec capita, nec personae, nec cives sint, sed tamquam res domini sui: nullum ipsis sit jus proprium, nullum nuptiarum, nullum dominii acquirendi, sed quidquid lucrantur aut acquirunt non sibi sed domino lucrentur et acquirant. Antonius Genuensis novis suae aetatis opinionibus nimis illectus absolute pronuntiat *obnoxiam servitutem* non solum humanitatis sed ipsius justitiae juribus adversari. » Cur sic opinor (inquit De of. l. 2. c. 4. §. 5.) facit, quod libertas, et ingenuitas est » jus inseparabile a natura quae se regere scit ac potest: ut » ea amissa, nihil fuerit amplius homini in vita jucundius. » Quare leges Romanorum, reliquorumque populorum, quae » hanc servitutem firmant, barbaras esse, et naturae adver» sas non dubito; satisque demonstravit auctor operis illu» stris *l'Esprit des Loix* ». Verum equidem non tanta confidentia ac nullo facto discrimine haec affirmari posse censeo, non solum quia turpe est sapientissimorum legislatorum instituta tot saeculorum judicio recepta et approbata adeo gravi ignominia notare: verum etiam quia videmus in divina quoque Moysis legislatione multa de mancipiis sancita. Quin imo in lege quoque Evangelica, ut recte monet Grotius nunquam aut mancipiorum officia, aut dominorum, etiamsi Christo nomen dederint, jura negavit, imo asseruit (1). Certe contra naturam et immane prorsus foret si mancipia non solum hypotheticis et civilibus sed et absolutis hominum juribus privarentur, ut, tamquam balluae habita, durissimis laboribus ac verberibus onerari, aut etiam capite plecti ad lubitum domini posse putarentur. Quod et factum persaepe novimus uti,

(1) Adnotat Grotius in ep. Pauli ad Philemonem « Doctrina Evan» gelica non tollit statuum differentias, et imperia dominorum in ser» vos, ut apparet I. Tim. VI. 1, 2. Tit. II. 9. I. Pet. II. 18. Ephes. VI. » 5, 6. Coloss. III. 22. Nulla ergo causa est cur Christianus, qui ut » dominus in servos habere imperium potest, non possit habere in sub» ditos ut Princeps. Paria sunt in domo dominus, in regno Rex. . . . , » Petrus imperia Regum et dominorum inter se aequat ».

est apud Juvenalem sat. 6: cum enim herus in servum immaniter saeviens et in crucem suspendi jubens admoneretur, ne temere hominis vitam perderet; tum ferus ille:

O demens! Ita servus homo est? nil fecerit: esto.
Sic volo, sic jubeo: sit pro ratione voluntas.

At hoc vel ethnicis sapientibus improbatum. « In mancipio enim, ajebat Seneca (l. 1. de Clementia c. 18.) cogitandum non quantum illud impune pati possit, sed quantum tibi permittat aequi bonique natura, quae parcere etiam captivis et pretio partis jubet ». Et Tullius (De off. l. 1. c. 13.) « Meminerimus etiam adversus infimos justitiam esse servandam: est autem infima conditio et fortuna servorum, quibus non male praecipiunt, qui ita jubent uti, ut mercenariis; opera exigenda, justa praebenda »: itemque officia humanitatis et beneficentiae deneganda eis non sunt: uno verbo si libertate ac juribus hypotheticis ac civilibus carent servi: nunquam ii absolutis hominis juribus, quae vitae temporali et eternae necessaria sunt, sine summo crimine privari possunt. Quibus vitiis declinatis, quaeritur quae possint esse causae jure hominem mancipandi? Tres in Jure Civili recensentur, *jus bellicum*, *nativitas servilis*, *et ultronea mancipatio*. Prima itaque causa est *jus bellicum*. Mos enim invaluit apud non admodum barbaras et feras gentes vitam servandi hostibus devictis, eosque obnoxiae servituti addicendi. Enimvero cum jus bellicum in hostium vitam ceteraque eorum jura necessitas defensionis et reparationis metiri debeat; consequens est, ut, si nulla alia via supersit ad reipublicae tranquillitatem et integritatem restituendam, nisi hostes devictos comprimendo, aequius et utilius sit, eos perpetuae potius servituti, quam morti destinare. Itemque jus *repressaliae* ad bellicam ultionem pertinens, aequam mancipandi causam praebet ita, ut si ab altera civitate inique alterius subditi ablati et mancipati sint, nec repetiti reddantur, totidem ejus civitatis subditi in servitutem jure redigantur. Altera mancipandi causa est *na-*

tivitas servilis, verna, seu proles ex ancillis nata, et ipsa una cum parentibus obnoxia est servituti. Cujus rei hanc nonnulli causam afferunt: quia nempe cum mancipia juris sui amplius non sint, quidquid ex eis provenit (ideoque etiam filii) ad ipsorum dominos pertineat. E contra vero recte monet Zallingerus: humana corpora non perinde ac bestiarum in dominio hominum sunt, nisi ratione operarum: nec ipsa proles in dominio patris vel matris est: itaque proles neque pacto, neque praecedente laesione, neque parentum potestate, quae eousque non extenditur, servituti subjecta est. Qua igitur de causa censeri potest, ut et filii una cum parentibus servire servitutem debeant? hanc primum probabilem dat Grotius causam « Certe (inquit l. 2. c. 5. §. 29. de jure bel. et pac.) si alia nulla fuerit ratio educandi partum, potuerunt parentes prolem sibi nascituram in servitutem secum addicere: quippe cum tali ex causa etiam in libertate natos vendere parentibus liceat. Sed cum hoc jus naturaliter ortum ducat ex ipsa necessitate, extra eam non est jus parentibus prolem suam cuiquam addicere. Quare jus dominorum in prolem servilem hoc casu nascetur ex ipsa alimentorum et eorum quae vitae necessaria sunt praebitione: ac proinde cum diu alendi fuerint e servis nati, antequam opera eorum domino utilis esse possit, et sequentes operae sui temporis alimentis respondeant; effugere ita natis servitutem non licebit, nisi pro alimentis quantum satis est reddant ». Praeterea alia probabilis causa servilis nativitatis ex eo, quod in Exodo XXI. 4. dicitur, facile erui posse putaverim. *Sin autem dominus dederit illi* (idest servo) *uxorem et peperit filios et filias, mulier et liberi ejus erunt domini sui.* Cum enim servis jus nuptiarum nullum sit: si herus id eis concedat cum hac tantum conditione, ut proles nascitura et ipsa servituti sit obnoxia: possunt servi conditioni illi assentiri, et prolem perpetuae servituti addicere, cui melius est servilem personam habere, quam nullimode existere. Tertia denique

causa obnoxiae servitutis est ultronea sui ipsius mancipatio. Si quis maximis vitae calamitatibus oppressus, atque ita servili praeditus ingenio, ut consulere sibi ipse non valeat, ultro petat a divite, ut perpetuo sibi alimenta ceteraque quae ad vitam necessaria sunt praebeat, ipse autem reliquis suis juribus sponte cedat, et operam suam servilem ei polliceatur, hic per ultroneam mancipationem servituti addictus censetur. Verum cum ille, qui de servitute obnoxia ita paciscitur, nihil donare intendat; hinc ne laesio, et injustitia intercedat, necesse est, sicut in ceteris contractibus permutatoriae aestimationis, ut aequalitas inter datum et acceptum omnimoda habeatur. Jam vero, si excipiantur aliqui casus, qui inter incultas et barbaras gentes dari fortasse poterunt, perdifficile sane est, ut in civilibus societatibus, hujuscemodi mancipiorum emptio et venditio componi possit cum justitiae et humanitatis lege, ut scilicet pro vilibus alimentis non solum assiduos gravissimosque labores a misserrimis hominibus exigat locuples; verum etiam jus libertatis, nuptiarum, et cujuscumque proprietatis ab eo auferat, atque ex pacto in infima semper conditione permanere mancipia debeant sine ulla emergendi facultate. Itaque quamquam nonnullae dari quidem possint causae jure hominem mancipandi, in qua scilicet conditione, sublatis civilibus et hypotheticis, essentialia et absoluta hominis jura sarta tectaque serventur: attamen fatendum est humanioribus ac politioribus aetatis nostrae disciplinis ac moribus longe lateque propagatis honestum decorumque maxime fore, si haec misserrima servorum conditio tandem aliquando ubique relevetur. Quod ab antiquissimis temporibus in divina Moysis legislatione penes Hebraeos sancitum novimus, in qua non solum constitutum fuerat, ut juste atque humaniter in suos servos domini sese gererent: verum etiam cautum fuit, ne tamquam mancipia perpetuae servituti obnoxia, sed tamquam mercenarios servos ad certum tempus sibi haberent: anno enim sabbatico, et jubilaeo emancipationis ratio praescripta erat, qua cum via-

tico, rebusque necessariis instructi dimitterentur. In lege autem Evangelica, quae verae libertatis et charitatis lex est, quocunque divina ejus doctrina pervagata est, non solum crudelia dominorum arbitria, quae in servos tanquam in bruta animantia apud ethnicos ubique invaluerant, omnino deleta sunt; verum etiam aut ad domesticum famulatum mancipiorum fortuna redacta, aut prorsus sublata est. Ut autem antiquiora praeteream, quibus constat, Episcopos, Regularium familias, christianos Principes, Romanosque Pontifices multa pro redemptione captivorum salubriter instituisse ac feliciter effecisse; unum tantum commemorabo Sedi Apostolicae maxime decorum humanitatis et christianae charitatis exemplum. Cum enim turpissimum illud de Indis occidentalibus et meridionalibus ac de Africanis a sordidissimis Europae mercatoribus commercium inductum esset, solicita Romanae Sedis auctoritas ab eo Christifideles maxima excommunicationis poena statim deterruit: et contra pervicaces iterum iterumque nervosius eam inflixit (1). Quare summis laudibus atque omnium sequentium saeculorum praeconio digna censenda sunt sapientissimorum civilium Principum consilia et decreta, quae cum antea tum hac nostra aetate praesertim, universo orbe plaudente, ad jugum servitutis solvendum, ac mercatorum hujusmodi aviditatem sordidumque quaestum penitus extirpandum sancita videmus (2).

(1) Ita Paulus III anno 1537 die 29. Maji in Literis Apostolicis ad Archiepiscopum Tarraconensem missis: tum Urbanus VIII an. 1639, ad collectorem Jurium Camerae Apostolicae in Portugallia: quas Pontificum sanctiones confirmavit Benedictus XIV. novis Apostolicis Literis ad Antistites Brasiliae, et aliarum regionum an. 1741. Haec denique aliorumque praedecessorum suorum sapientissima decreta complectens Gregorius XVI. in Literis Apostolicis *de nigritarum commercio non exercendo* die 3. Decembris 1839. sua auctoritate validius confirmavit.

(2) » L'uso di vendere i proprii figli, che hanno gran parte di
» questi popoli (i Negri) ha fatto aprire agli Europei un infame mer-
» cato di essi. Si trasportano questi infelici nell' America, dove ven-
» gono impiegati alle fabriche di zucchero e del tabacco, alla coltura
» delle terre e allo scavo delle miniere. Nel 1768 furono estratti dal-
» l' Africa 104,100 schiavi; de' quali 59,400 furono comprati dagl'

ARTICULUS II.

De societate conjugali

Contractus omnium praestantissimus, et humanae societati conservandae augendae ac perficiendae necessarius, ille procul dubio est, quo vir et mulier societatem ineunt ad sobolem procreandam atque educandam, qui contractus *matrimonium* appellatur. Cujus honestatem effraenis hominum licentia maximo cum publicae privataeque rei damno omni aetate turpissime violavit; et quod deterius est, nonnulli quoque praestantes ingenio viri matrimonii septa sanctissime sancita suis falsis doctrinis relaxantes impotenti libidini fomenta teterrima dedere. Ut enim mittam stultissimam Manichaeorum aliorumque sententiam, qui rem per se turpem et iniquam matrimonium putantes a Principio Malo ejus originem repetebant: non puduit Platonem aliosque magni nominis sapientes vel mulierum communionem, vel fornicationem, aliave hujuscemodi flagitia cohonestare. Ceterum divina revelatio tam in veteri, quam multo magis in novo foedere matrimonii honestatem sanctitatemque adseruit, atque luxurian-

» Inglesi; 23,500 da'Francesi, 11,300 dagli Orlandesi, 8,700 da'Portoghesi, e 7,200, da' Danesi. L' estrazione del 1789 fu di 90,000 » individui. Essi vengono fin dalle parti più centrali dell' Africa. I » voti della filosofia e dell'umanità furono finalmente ascoltati nel congresso di Vienna per l'abolizione di si abominevole commercio. Ma » l'avidità continua a macchiare di tal nefando delitto i culti ed umanissimi Europei ». (Galanti Istituzioni di Geografia to. 4. dell'Africa c. 1.) - Praetereunda tamen hic non est Anglorum magnanimitas. Jam enim ab anno 1790 Clarkson privatus homo, et duo anglicani senatus membra Wilberforce, et Fox consilia vehementissime inierunt, ut nigritarum commercium tolleretur, quorum votis tandem annuit supremus ille senatus, edita anno 1806 lege, qua commercium illud vetabatur: ac denique efficaciori alia lege servitus in omnibus Angliae coloniis et terris penitus deleta est. Ne autem haec humanitatis decreta dominorum jura ulla in parte laederent, liberalissime sancitum, ut publicum Nationis aerarium in se gravissimum assumeret debitum quod juxta eorum computationem est (25,000,000 libellarum *sterlinar.*) quibus mancipiorum dominis satisfieret.

tem libidinem intra arctos matrimonii fines conclusit et coëgit; dilectionemque conjugalem amori Christi cum Ecclesia sua comparans contractum hunc naturalem ad Sacramenti dignitatem evexit. Qua luce revelationis effusa, facile cuique datum est perspicere, quam longe veteres illi sapientes a venitate aberraverint, quamque naturae legi divina haec doctrina apprime cohaereat. Et sane lex naturalis, quae societatis humanae conservationem et culturam jubet, unum matrimonium (idest contractum, certis legibus sobolis propagationi atque educationi aptis mutuamque amicitiam ac praesidium inducentibus, inter marem et foeminam initum) tamquam medium huic fini gravissimo necessarium sancit firmatque, cetera vero commercia abscisse vetat. Enim vero societati necessaria est humanae speciei propagatio, nec non recta sobolis educatio atque institutio. Filiorum autem procreatio haberi potest vel ex fortuita et vaga maris ac foeminae unione, vel ex conjugibus stabilem vitae societatem juxta matrimonii leges inductam servantibus. Atqui generali experientia constat, ex promiscuis hisce et vagis omnique lege solutis commerciis perraro sobolem procreari: cum autem et pater incertus sit, et nullis praestitutis legibus teneatur, nemo foret, qui ex officio justitiae certo obligaretur, ut opem ferret gravissimis matris necessitatibus foetum in sinu ferentis, parientis, lactantis, et gravissimam sibi curam assumeret convenientis cum physicae tum moralis filiorum educationis: quare sublatis matrimonii legibus, societas humana vel penitus destruatur, vel ad conditionem belluis deteriorem redigatur necesse est. Igitur et platonica illa bonorum omnium atque etiam mulierum communio, quam philosophus ille praestantissimus in suae imaginariae reipublicae perfectionem somniavit, et *polyandria simultanea*, qua mulier una plures viros sibi eodem tempore consociatos habeat; et fornicatio *vaga*, nec non et *simplex* fornicatio idest certum quidem unius cum una commercium, qui tamen nullis certis legibus ad principales conjugii fines servandos obligarentur, omnia in-

quam haec et similia contra legem naturae sunt, utpote quae humanae societatis fini omnino adversantur, humanamque speciem exauriunt et subvertunt. Nihil vero dicam de infandis illis commerciis, et tenebricosis actibus belluis ipsis ignotis, qui humanae generationis rationem necessario frustrantur. Ceterum in hac sane lubrica materia, et humanae infirmitati maximopere periculosa, sanctissima divinae revelationis documenta sedulo teneamus, quibus edocemur, ut vel ipsa mentis phantasmata, sicut cum ignis supra vestem vel manum nostram injectus sit, illico et procul a nobis excutiamus.

Quaeret autem hoc loco quispiam, num idem de *polygamia simultanea* censendum sit, an scilicet contractus unius viri cum pluribus foeminis eodem tempore initus itidem naturae legi adversetur? Cui respondeo, quod etsi polygamia simultanea primariis matrimonii finibus non omnino repugnet, cum vir unus possit et sobolis procreationi et ejusdem educationi dare operam; attamen ob ingentem filiorum numerum, et plurium mulierum simul et aequali jure commorantium zelotypiam, perdifficilis certe foret domestica concordia, ac filiorum educatio valde periclitaretur: cum autem societas maritalis sit perfectae amicitiae vinculum, atque ut jurisconsulti romani ajunt *omnis humani divinique juris communicatio;* non admodum conveniens juri mulierum videtur, si dum ipsa viro suo in amicitia tota devincta est; is vero in plures sit divisus. Itaque naturae legi conformius, et humanae societatis bono accommodatius censendum certe est matrimonium inter unum et unam initum ac servatum. Sapientissime ergo in novo Testamento matrimonium ad primaevam integritatem unitatemque positiva jussione a D. Legislatore revocatum est.

Jamvero matrimonium triplici ratione considerari potest vel uti contractus *naturalis*, vel ut *civilis* contractus, vel ut Sacramentum: quare et juris naturae, et Imperii civilis, et Ecclesiae legibus matrimonium subjacet: nos autem praetermissis iis omnibus, quae ad juris positivi provinciam

pertinent, nonnulla tantum quae intimam et peculiarem hujusce contractus naturam spectant breviter consideremus oportet. Si, ut alias generatim demonstratum est, in quovis contractu certae quaedam leges circa rem de qua agitur, circa contrahentium personas, ac modum contractum ineundi a natura praescriptae sunt, multo magis in matrimonio eae servari adamussim debent: unde et conjugum tranquillitas, et bona vel mala filiorum constitutio atque educatio maxima ex parte pendet : quae omnia cum privato familiae ac publico civitatis bono, nec non cum aeterna parentum et sobolis felicitate arctissime copulantur. In primis itaque quoad contractus hujus possibilitatem, necesse omnino est, ut contrahentes tam physice quam moraliter capaces ac pares sint ad consensum emittendum, et ad primaria saltem conjugum et parentum officia praestanda. Nullum ergo est matrimonium non solum illius, qui usu rationis careat; verum etiam, si omnimoda corporis *impotentia* laboret ad primum procreandae sobolis finem consequendum. Porro praeter physicas sunt et aliae causae morales, quae inhabiles prorsus ad valide contrahendum matrimonium faciunt, cum scilicet quidam teneatur antecedenti obligatione hypothetica sive immediate a lege naturae sive a positiva lege imposita, quae contractum hunc omnino vetet ac dirimat. Quare si quis sponte sua castitatem perpetuam Deo voverit, aut legi coelibatus in ejus honorem impositam sese subjecerit (ea tamen ratione et modo, quo Ecclesia sanxit, utpote in solemni religionis professione, et sacrorum ordinum inauguratione) vel si foemina uni viro nupserit, et (ut saltem in Evangelica lege sancitum est) vir uxorem unam duxerit, certe ii omnes inhabiles facti sunt ad contrahendum matrimonium; quod vel Dei vel conjugis viventis juri omnino repugnat. Atque haec impedimenta, si excipias *monogamiam;* sunt de jure naturae a lege ecclesiastica temperata : sunt autem et alia ex lege mere *positiva* de quibus utriusque juris tractatores agunt. At quaesitum est, utrum nuptiae inter cognatos et affines lege

ulla naturae prohibeantur: qua de re ita disserit Genuensis de Officiis l. 2. c. 2 « Conjuges sunt socii, qui, ut IC. ipsi » latini ajunt, omne inter se humanum, divinumque jus com» municant, et reciprocant. At hoc evertit jura cognatorum » et consanguineorum, quae ipsa natura sunt diversa. Nu» ptiae incestuosae filiam patri, filium matri, nepotem aviae, » neptem avo per omnia coaequant: in fratribus id societa» tis genus inducunt, quo deletur αιδως ιερα, illa, quae est » a natura, sacra et verecunda charitas. Hujuscemodi igitur » nuptiae cum jure naturae pugnant, mundique subvertunt » legem. Atque is est sensus gentium omnium etiam agre» stium. In reliquis gradibus linearum transversalium, ut » nullus naturae sensus motusque repugnat, ita nulla talis » foeditas: itaque solis positivis legibus in prohibitis haben» tur ». Quae quidem certa et vera censenda sunt de consanguineis in linea *recta* ut dicitur: fratrum autem et sororum conjugia non ita naturae repugnantia dixerim, ut venia et exceptio dari aliquando nequeat; et re sane vera, nisi ad Cadmi, aut Deucalionis, aut Promethei commenta recurras, non alia certe ratione humana species in mundi exordiis propagari potuisset, si inter fratres ac sorores conjugia fuissent sublata: idque eo vel magis concedendum puto, quia fraterna charitas cum conjugali charitate non prorsus repugnare videtur.

Praeter possibilitatem physicam et moralem cum in reliquis contractibus, tum multo magis in matrimonio ad id valide ineundum necessaria est actualis rei cognitio saltem quoad essentialia, et plena contrahendi voluntas a quacunque iniqua, externa, gravi ac directa vi libera: secus enim, ut fusius c. II. a. I. declaratum est, consensus in idem placitum, in quo cujusvis contractus essentia consistit, inter contrahentes haberi nullo modo posset. Tunc autem necessaria rei cognitio in matrimonio ineundo deest, cum error quacumque de causa inductus respicit personam, utpote si quis Rachelem uxorem ducere intendat, atque ejus nomen ac per-

sonam gerat Lia. Non item vero dicendum, si error versetur circa personae qualitates, quae a primariis matrimonii finibus sint extraneae, si e. g. Titiam divitem, aliisve dotibus, quibus revera careat, praeditam putaveris: in primo enim casu deest omnino contrahentium consensus in idem placitum, in altero autem de matrimonio ineundo inter certas habilesque personas habetur. Quoad metum vero et coactionem, praeter ea quae generatim disseruimus, sapientissima extat juris positivi de foeminis ordinatio, ut scilicet si invita violenter fuerit rapta atque in alium locum matrimonii ineundi causa translata, quamvis postea, deposito metu, ibi sponte consentiat, nullum tamen sit matrimonium, nisi *rapta a raptore separata, et in loco tuto et libero constituta* fuerit. (Trid. sess. 24. cap. 6.)

Ad modum autem contractus hujus conficiendi quod attinet, procul dubio oportet, ut mas et foemina physice et moraliter ad conjugium habiles, omni vi ac dolo malo sublato, consensum per quosdam actus externos invicem manifestent, atque sincere, et perspecte invicem spondeant, et acceptent. Cum autem recta matrimonii celebratio summi momenti res sit, tam ad privatam quam ad publicam utilitatem, atque ob sacramenti dignitatem, maxima ei debeatur reverentia; hinc jure sapienterque Catholica Ecclesia (Trid. sess. 24) praeter solemnitates ac ritus quosdam, qui sine gravi peccato omitti ad lubitum nequeunt, impedimentum *clandestinitatis* matrimonium dirimens statuit, quo inhabiles omnino redduntur ad valide contractum maritalem ineundum, *qui aliter, quam praesente Parocho, seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentaverint* (1).

(1) „ Si chiede se le nozze per forza della legge di natura debban » celebrarsi con certa solennità di riti ? Tutte la nazioni anche le più » selvaggie n'hanno una; e questo dimostra, che vi sia una cagion ge» nerale, che spinga gli uomini ad usare di tali riti . . . Le nozze sono » un patto solenne di società . . ; ma come accertare un patto e i diritti » che ne nascono, senza qualche solennità, e rito ? Ed ecco la ragion

Quaestio gravissima est, utrum nuptiae rite et valide initae suapte natura sint indissolubiles nec ne. In primis certum est ex demonstratis vagum et instabile connubium legi naturae esse prorsus contrarium: sed oportet, ut sit contractus maris ad determinatam foeminam, cum qua permaneat, non per modicum tempus, sed diu, quoad primariis saltem matrimonii finibus perfecte satisfecerint. Hinc D. Thomas (Sup. 3. p. 9. 65. a. 3.) de vago et instabili concubitu disserens ait « non est conveniens ad prolis bonum, in quo non » solum intenditur ipsius procreatio, per quam proles *esse* » accipit, sed etiam educatio, et instructio, per quam accipit nutrimentum et disciplinam a parentibus; in quibus » tribus parentes proli tenentur, secundum philosophum in » 8. Ethicor. Cum autem educatio et instructio proli a parentibus debeatur per longum tempus, exigit lex naturae, » ut pater et mater in longum tempus commaneant, ad subveniendum communiter proli: unde aves, quae communiter pullos nutriunt, ante completam nutritionem non separantur a mutua societate, quae incipit a concubitu. Haec » autem obligatio ad commanendum foeminam cum marito » matrimonium facit ». At enim quaeritur, utrum parentum officiis in susceptam prolem penitus expletis, possit jure naturae contractus matrimonialis dissolvi? e. g. ob ingravescentem mulieris aetatem, qua sterilis omnino facta sit: itemque ob alterius infidelitatem; foedifragus enim in quovis contractu jure suo cadit: praeterea, non admodum perspicue apparet, cur ante matrimonii consumationem non possint contrahentes mutuo consensu separari: cum nulli facere videantur injuriam, et sicut sua voluntate contractus initus erat, ita possit eadem dissolvi; res enim per quas nascitur causas, per easdem dissolvitur §. *fin. instit. quib. mod. obligat. tollitur*. Quare non omnimodam indissolubilitatem suapte natura matrimonii propriam esse opinati sunt haud pauci praestantes

» naturale del rito delle nozze : è necessario che si accertino i diritti » de'conjugi, e de'figli etc. » Genovesi Diceos. l. II. c. II. §. 12.

viri sicut e. g. inter theologos Thomas Sanchez, (l. II. d. XIII.) inter philosophos Antonius Genuensis (Diceos. l. II. c. II. §. 6.) : quamquam (ut sacramentalem matrimonii dignitatem, et divinam christiani conjugii significationem praeteream) fatendum quidem est, perpetuam matrimonii indissolubilitatem conjugum benevolentiae, concordiae ac fidei conservandae consentaneam vel maxime esse. Ceterum ex jure positivo divino omnis dubitatio sublata est; quo expresse sancitum est. I. Ut matrimonii Christifidelium rati et non consumati vinculum dissolvatur, si unus saltem ad meliora vota transire velit. II. In matrimonio autem consumato divortium, idest separationem inter conjuges quoad thorum seu quoad cohabitationem, fieri posse sive perpetuam ob alterius adulterium, sive multis aliis de causis ad certum, incertumve tempus. III. Matrimonii vero rati et consumati vinculum sola conjugis morte dissolvi.

Itaque cum matrimonium sit contractus inter virum et foeminam individuam vitae societatem ad prolem procreandam atque educandam naturae lege institutus; cumque a Christo domino Sacramenti dignitas ei superaddita sit, et ad suum erga Ecclesiam amorem et unionem comparatus; sequitur ex officio naturali, et evangelica institutione statum conjugalem sanctum esse, perfectaeque amicitiae societatem. Primum igitur et maximum conjugum officium est, inviolatam ab invicem servare fidem : tum si illud verae amicitiae est, ut *amicorum sint omnia communia*, quanto magis id in matrimonio fieri necesse est, quo conjuges et natura, et pactis conventis perpetuo constituuntur amici ? quare amare sese invicem debent, revereri, auxiliari, atque omnia familiae consilia et negotia aperte communicare, et quod ad concordiae perpetuitatem, prosperitatemque familiae potissimum est, magna utrinque tolerantia ac patientia necessaria omnino est, in quo tamen viri prudentia ac longanimitas erga mulieris imbecillitatem mobilitatemque naturae praestare debet. Denique susceptae prolis educationem institutionemque communi cura

suscipere el peragere strenue : quod munus praeter gravissima D. Revelationis praecepta, et ipse insitus a natura amor in fructum viscerum suorum, qui etiam in belluis exquisitissimus cernitur, et summa filiorum necessitas, universaeqne societatis bonum omnino imperant; cui rei solemni facto per matrimonii celebrationem sese obligavere. Jam vero recta filiorum educatio triplex objectum habet *physicam, moralem*, et *civilem* eorumdem institutionem. Scilicet in primis diligens ac sollicita cura parentibus adhibenda est, ne quid detrimenti capiat foetus in sinu matris inclusus, sed maturo tempore feliciter in lucem edatur; a matre ipsa, nisi gravi de causa impediatur, lacte nutriendus; hoc enim individuali prolis constitutioni peropportune a natura ipsa praeparatum alimentum est; nulli denique curae, labori, impensae parcendum, ut optima valetudine filii adolescant. Quanta autem cum hac de re, tum multo magis de civili morali et religiosa filiorum institutione, quae prae ceteris necessaria et perdifficilis admodum est, praecipienda forent! Ceterum quidem paucis, sed quantum ut arbitror satis esse possit, ita rem concludam. Quae de cultura sui intellectus et voluntatis, ac de cura propriae vitae fusius parte II. c. I, et II. egimus, eadem omnia parentes liberis aptare ad amussim debent. Nonnulla tantum de modo ac ratione, qua haec disciplina opportunius applicetur, hoc loci addam. Ad pueros bonis moribus, bonisque artibus informandos non tam praeceptis abstractisque rationibus, quam exemplis et practicis exercitationibus utendum puto. *Nihil pratermitto* (inquiebat de filii sui institutione terentianus ille Demea in adelphis) *consuefacio, inspicere tamquam in speculum in vitas omnium jubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi*: *hoc facito, et hoc fugito: hoc laudi est; hoc vitio datur.* Enim vero *homines*, ait Seneca ad Lucil., *amplius oculis, quam auribus credunt, deinde*: *longum iter est per praecepta, breve et efficax per exempla.* Prima autem et perennis optimae educationis norma esto viva parentum ipsorum, domesticorum, ceterorumque quibuscum

pueri vitam degunt, disciplina, morum integritas, virtutum exempla. Studiose porro introspicienda est puerorum indoles, et pullulantia vitia, quo facilius quamprimum evellantur, et flexibilis eorum animus in bonam partem inclinetur. Perspecte autem cavere debent parentes, ne aut nimiam libertatem pueris relaxent, aut nimis arctum fraenum imponant; et sicut a rigidiori severitate prorsus sese abstinere, ita etiam ab inconsulta facilitate cavere. Etenim *qui parcit virgae, odit filium*, ait Salomon. Ceterum redargutiones, punitiones, et aspera quaeque remedia raro, et nonnisi gravi de causa, quae morum emendationem, et rectam informationem spectent, eaque paterno amore adhibenda sunt, ut vel ipsi filii id bono consilio factum fuisse aperte cognoscant. Vincat tamen plerumque humanitas et clementia; facilius enim amore capiuntur homines, quam metu et coactione. Quae et alia multa opportuniora melius, quam philosophus, ipse paternus amor, si verum filiorum bonum exoptet, et curet, ut usus postulet, actu edocebit. Hoc unum quoad civilem filiorum institutionem expresse notandum superest, filiorum arbitrio relinquendum omnino esse, ut quem potissimum vitae cursum sequi velint, eum libere ineant: et inique prorsus agerent parentes, si in electione status filiorum libertatem interciperent. Attamen parentum officium est, juxta familiae conditionem iis rudimentis, quae ad diversa munia quae in filiorum ingenium ac vires apprime convenire possint, eos sedulo instruere; impedire intempestiva, stulta, et noxia consilia: cognita autem certa filiorum propensione, et honesto prudentique consilio, eos pro viribus adjuvare, ut ad optatum finem feliciter perveniant. Haec omnia ex charitatis et justitiae officio diligenter praestare filiis debent parentes quousque ipsi per se consulere sibi valeant

. . . . *mi satis est, si*

(ajebat pater filio suo Q Flacco l. I. sat. IV.)

Traditum ab antiquis morem servare, tuamque,
Dum custodis eges, vitam famamque tueri

Incolumem possim: simul ac duraverit aetas
Membra animumque tuum, nabis sine cortice.

Quod si nequeant parentes ipsi per se haec omnia peragere, adsciscere sibi debent magistros et adjutores. Deficientibus autem parentibus, si de patrimonio *tutor*, aut *curator* institui non possit, iis potior pupillorum educandorum obligatio enascitur, qui et hanc sibi assumere valeant, et arctiori necessitudinis et cognationis vinculo conjuncti cum eis sint: ii enim beneficiis ex eadem familia et communi stipite antea susceptis ad id prae ceteris obligantur.

Cum itaque lex naturalis admodum gravia, tam in ipsorum filiorum quam in humanae societatis bonum, officia parentibus severissime praescribat, consequenter eam potestatem eis tribuit, quae ad id muneris recte implendum necessaria est, scilicet auctoritatem jurisdictionis in filios. Haec autem regendi et imperandi auctoritas, seu *patria potestas* quae dicitur, ob naturalem viri praestantiam suprema in patre est; matris vero auctoritas subordinata familiae capiti esse debet; atque ita porro gradatim de ceteris, qui ob impositam paterni muneris partem de patria quoque potestate participant. Quapropter recte mihi docere videntur qui dicunt, primum et a natura ipsa profectum imperium, civilium omnium regiminum typum atque elementum, esse patriam potestatem: *Quin est in parentibus* (ait Genuensis de off.) *aliquod longe majus et divinius, quam in regibus: siquidem a parentibus hanc vitae auram accepimus. Quantum autem beneficium est et esse et vivere*? Quae cum ita sint, liberorum conditio supremo et regali, ut ita dicam, parentum juri natura sua subjecta est: quare praeceptum illud *honora patrem tuum et matrem*, quod post officia quae ipsi Deo debentur in Decalogo promulgatum novimus, gravissimum quidem naturae officium est, quo primum *obedientiam* in iis omnibus, quae domus gubernationem et bonos mores, uno verbo perfectam filiorum institutionem spectant, adamussim parentibus praestare jubentur liberi quousque gubernatoris et educatoris egent; tum etiam

amorem ac *reverentiam* perpetuo illis habendam. Si enim obediendi necessitas ex officio educationis nata ejusdem educationis limites non excedit; ita ut statim ac consulere sibi filii valeant, ac vitae degendae institutum libere susceperint, sui juris fiant; attamen reverentiae et amoris officia adversus parentes exhibenda nullo unquam tempore desinunt: *diis enim et parentibus* (ait Aristoteles Ethic l. 8. c. ult.) *nemo referre dignam gratiam posset.* Qui ergo parentum auctoritatem, et amorem contemnit, is et in divinis literis, et naturae lege, et apud barbaros ipsos impius et prorsus immanis habetur, teterrimaeque punitioni destinatus. *Maledictus qui non honorat patrem suum et matrem,* dicit Dominus (Deut. 27.) Cavere itaque summopere debent filii, ne quid contra pietatem adversus parentes agant; quae enim leviora fortasse forent, si in proximum quemque committas, eadem in parentes attentata gravissima fierent crimina: utpote si quis signa contemptus ostentet, aut verbis asperis et contumeliosis deliberato animo ad gravem iram provocet, vel maledicta et convicia coram in eos conjiciat; aut si percutiat etiam leviter, vel manum tantummodo ad percutiendum deliberate attollat. Non modo autem ab injuriis inferendis abstinere, sed nihil praetermittere debent, quod honori, reverentiae, atque eorum incolumitati servandae, expedire videatur: nec solum communia charitatis officia, sed specialia et accuratiora eis debentur. *Quidquid enim est* (ait Seneca de benef. l. III. 29.) *quod dat patri filius, utique minus est, quia hanc ipsam dandi facultatem patri debet. Itaque nunquam beneficio ejus vincitur.* Quid, inquies, si parentes injusta aut turpia praecipiant? Nemini dubium quod *oportet obedire magis Deo quam hominibus*: attamen rogandi sunt blande, ait prope divinitus Epictetus, monendique, ut summo potius humani generis parenti Deo utrique parere velimus, qui injusta et turpia vetat omnibus, quam committere, ut impie ab ejus imperio desciscamus: nam *omne regnum sub regno graviori est.* Quid autem si stulti aut improbi parentes sint? « Omnia officia (prosequitur Epictetus

» Enchir. c. 37.) mutuis relationibus sunt metienda. Pater » est? Praecipitur curam ejus agendam, cedendum ei in » omnibus: si convicietur, si verberet, ferendum esse. At » pater malus est. Nunquid natura cum bono patre con- » junctus es? Non, sed cum patre. Tu ergo munus tuum » erga eum tuere, nec quid ille agat, considera, sed quibus » rebus agendis tuum institutum naturae futurum sit con- » sentaneum ». Porro officia haec amoris, reverentiae et obsequii, servata proportione, iis etiam debentur, quibus partem paterni muneris imposita sit, atque etiam majoribus natu reliquis. Qua de re praeclare Licurgus majores natu parentum loco adolescentibus habendos esse sanxit: quare Lysandrum lacedaemonium commemoratum a Tullio dicere, ajunt, solitum Lacedaemone esse honestissimum domicilium senectutis: nusquam enim tantum tribuebatur aetati, nusquam erat senectus honoratior. Quantus itidem Romae majoribus natu honor, quanta auctoritas antiquitus tribueretur, neminem certe latet. Ergo ethnici tam praeclara praecipere et servare potuerunt, nos instituti optimis Christianae Religionis praeceptis contempserimus.

ARTICULUS III.

De caelibatu.

Cum ex demonstratis societas conjugalis, seu contractus matrimonialis individuam vitae societatem inter marem et foeminam ad prolem procreandam atque educandam inducens ac firmans necessarius omnino sit humanae societati: ideoque naturae lege sancitus: quaeritur utrum singuli homines, qui ad matrimonium apti sunt, eadem lege ad id incundum teneantur, an cuilibet indiscriminatim liceat, a statu conjugali se abstinere, ac solutam caelibemque perpetuo vitam deligere? Ad hanc quaestionem recte determinandam quaedam peculiares et accidentales rationes seponendae sunt, quae alienae omnino forent a conceptu propositae disquisitionis. Primo itaque ser-

mo non est de peculiari societatis indigentia, qua nisi matrimonium ineatur, species humana periclitaretur ac peritura esset; quemadmodum ab initio mundi et immediate post diluvium fuisse accepimus. De consueto humanae speciei statu et progressu loquimur. Itemque secundo loco dum de caelibatus honestate inquirimus, alienum esset a quaestione, si quis aut dissolutos multorum caelibum mores opponeret, aut rei difficultatem exaggerans (fortasse et ipse qui redarguit ad voluptates nimis pronus ac deditus) perpetuam continentiam fere impossibilem faceret. *Qui enim non se continet, nubat* dicit Paulus. Nos itaque, sepositis hisce accidentalibus causis, dicimus in consueta humanae speciei propagatione cuilibet, qui prudenter, Dei gratia adjuvante, honeste se suae vitae modum tenere confidit, licere caelibatum amplecti; quin imo honesti caelibatus statum multo praestantiorem esse conjugali vita. Atque hic contra incredulorum et haereticorum dicteria juvenes catholicos philosophiae studiosos sedulo monendos censeo, veritatem hanc praeclaris divinae revelationis doctrinis et exemplis illustratam ab Ecclesia expresse definitam esse hisce verbis ». Si quis dixerit, statum conjugalem antepo- » nendum esse statui virginitatis vel caelibatus, et non esse » melius ac beatius manere in virginitate aut caelibatu, quam » jungi matrimonio; anathema sit ». Primum itaque de caelibatus honestate, tum de ejus praestantia dicam.

Petrus Tamburinius, ut impudentissimas incredulorum blasphemias praeteream (Lezioni di filosofia morale ec. To. III. L. XXIV. et T. IV. Appendice) affirmat jure naturae ac jure positivo divino praeceptum de ineundo matrimonio omnibus et singulis hominibus perpetuo impositum esse, adeo ut ab hujus praecepti obligatione aut impotentia sive physica sive moralis, aut manifesta Dei dispensatio absolvere possit. Contra quem dico, aut nullum unquam a Deo naturae et revelationis auctore factum esse positivum praeceptum de matrimonio ineundo, ut doctores nonnulli censent; aut si praeceptum hoc admittamus, tamen id in praesenti rerum statu nullos conti-

nentes caelibes obligare, ut cum D. Thoma omnes recte sentientes philosophi ac theologi tenent. Primae sententiae patroni hac haud improbanda, ut mihi videtur, ratiocinatione disserunt. Vult quidem Deus sicut plantarum et animalium reliquorum, ita hominum conservationem et propagationem: quare copiosissime ac praepotenter physicas leges posuit, quibus suae voluntatis decretum certo suum effectum habeat. Atque haec pro vegetalibus et animantibus brutis sufficientia sunt: cum autem ex libertatis abusu effraenis libido humanae generationis rationem frustrari possit: hinc praepotenti illi physicae propensioni arctos continentiae limites imponit Deus, ita ut praeter legitimum matrimonium, quo et prolis procreationi et ejus educationi consulatur, nefas omnino sit naturalis appetitus illecebris indulgere. Quapropter integrum cuique sit, aut voluptati virili animo resistendo perpetuam castitatem servare, aut per matrimonium liberis dare operam. Hac igitur tantum limitationis lege servata, humanae generationis prosperitati consultum esse videtur, etiamsi nullum omnino praeceptum de ineundo matrimonio unquam extiterit. Ceterum D. Thomas et alii passim rectius opinantur, legem quidem hanc humanae speciei datam fuisse, quam neque Adam e. g. neque Noe, praeterire poterant, neque rursus in praesentiarum quisquis sese continere nolit: quae tamen benemoratos caelibes nullo pacto teneat. Hanc rectissimam s. Doctoris doctrinam a sapientissimis philosophis et theologis passim receptam tamquam sophisticam et ineptam audacter damnat Tamburinius, cujus ratiocinatio ad hoc reducitur: *species* humana est ens logicum, quod non subsistit nisi in singulis individuis: ergo aut homines singuli ad connubium obligantur; aut nemo. Atqui hoc dici nequit: ergo singulos ad id obligari dicendum est. Sophismatis hujus vanitas facile cuique apparebit, si consideret quod, ita ut praeceptum de matrimonio ineundo speciei vere impositum esse dicamus, necesse non est ut omnes et singuli homines absolute ad id teneantur, sed sufficit indeterminata et hypothetica obligatio, scilicet nisi alii huic societatis indigentiae satisfaciant. Cum autem in

consueto societatis progressu certa et sufficiens propagatio habeatur, utrumque verum est, et praeceptum hoc humanae speciei esse datum, et singulos nunc caelibes nulla ad id obligatione teneri. Subdit autem Tamburinius, iis omnibus singillatim matrimonium natura praescribit, quos physice et moraliter ad officia conjugalia aptos effecerit: quemadmodum physica et moralis cujusque habitudo et inclinatio ad propriam conservationem, praeceptum de sui ipsius cura singulis determinate demonstrat. Huic objectioni praeclarissima hac D. Thomae doctrina respondeo (suppl. III. p. 9. 41. a. 2.) ». » Natura inclinat ad aliquid dupliciter: uno modo, sicut ad » id quod est necessarium ad perfectionem unius: et talis » inclinatio quemlibet obligat; quia naturales perfectiones » omnibus sunt communes: alio modo inclinat ad aliquid quod » est necessarium ad perfectionem multitudinis: et cum multa » sint hujusmodi, quorum unum impedit aliud, ex tali in» clinatione non obligatur quilibet homo per modum prae» cepti; alias quilibet homo obligaretur ad agriculturam et » aedificatoriam, et ad hujusmodi officia, quae sunt necessaria » communitati humanae: sed inclinationi naturae satisfit, cum » per diversos diversa de praedictis complentur. Cum ergo » ad perfectionem humanae multitudinis sit necessarium ali» quos contemplativae vitae inservire, quae maxime per ma» trimonium impeditur; inclinatio naturae ad matrimonium » non obligat per modum praecepti, etiam secundum Philo» sophos. Unde Theophrastus probat quod *sapienti non expe» dit nubere* ». Hujus praeclarissimae doctrinae vim labefactare adnititur Tamburinius (Tom. III. l. 24.). Liberum cuique esse ait sive ad agriculturam, sive ad aedificatoriam, sive ad alias artes exercendas manibus suis uti, quia manus ad plura factae sunt aptae: cum autem dispositionem procreandi ad unum determinatam singulis natura dederit, singulos ad matrimonium obligavit. Verum ipse magnopere hallucinatur; id enim tantum facultatem concessam significat, non autem absolutam obligationem: quis quaeso, nisi stultissime

dixerit, philosophum, oratorem aut ministrum religionis, qui nullis mechanicis artibus manus exercent, sed solis mentis facultatibus in societatis bonum utuntur, eos contra naturam agere? Aut e converso peccare agricolas, et alios hujusmodi, qui dum totis corporis viribus terram excolunt, suum ingenium, ad praecellentia studia fortasse aptissimum, rude et incultum relinquunt? Igitur multiplices animi corporisque facultates nobis natura dedit, quibus societati prodesse possimus, ac generale et indeterminatum praeceptum imposuit, ut societatis utilitati inserviamus, ea ratione et modo, quo vel nobis magis placuerit, vel peculiares circumstantiae postulaverint. Atque ut rem brevius concludam, animadverto, tunc praecepta affirmativa, quae in aliorum utilitatem ordinantur, vim determinatam obligandi ad certa officia aliis praestanda habere, cum non solum in nobis facultas sit, qua sine gravi nostro vel aliorum detrimento eadem exhibeamus, verum etiam si eodem tempore proximus iis officiis revera indigeat, neque ab aliis huic indigentiae sufficienter satisfiat. Atqui in consueto rerum progressu sufficiens speciei humanae propagatio habetur: ergo desunt omnino conditiones, queis praeceptum de contrahendis nuptiis singulos caelibes obligare possit.

At enim si non omnimoda obligatio adsit qua caelibes ad matrimonium teneantur; attamen multo melius consulerent societatis bono, si potius quam sterilem et otiosam vitam in caelibatu degerent, per matrimonium et Deo cultores, et societati optime institutos cives augerent. Atque hic ad mathematicae calculos revocant possibilem hominum numerum, qui per omnes praeteritas generationes ex matrimonio eorum qui caelibem vitam amplexati sunt in immensum crevisset, et universam ferme terram replevisset: quos omnes caelibatus perdidit. Possem contra leves hosce declamatores phanatico furore abreptos, sapientissimorum hominum cathalogos referre, qui ex historia demonstrant, ubi virginitas ac caelibatus in honore et sanctitate maxime floruit, ibi et civium numero et optimis moribus atque artibus societatem

vel maxime floruisse. Ceterum hoc tantum animadvertam, duo opposita vitia itidem reipublicae bono adversari, vel exiguum hominum numerum, vel nimiam eorumdem copiam. Ex civium enim defectu industria, commercium ac bonarum artium studia languescunt: atque universum reipublicae corpus debile, miserum, incultum abjectumque evadit: ingens autem et coacervata hominum multitudo statum civilem aggravat, perturbat, ejus substantias devorat et exhaurit, culturae et politioribus disciplinis inimica est; idque locupletissimis Turcarum, Sinensium, aliorumque populorum exemplis posset illustrari. Quibus oppositis vitiis duo remedia mirifice accomodata sunt, et vaga atque effraenis libido per legitimi matrimonii leges compressa, et honesti caelibatus ratio sancte custodita. Quapropter facile cuique patet, non solum ex divinae revelationis oraculo, verum etiam ex ipsa ratione naturali statum honesti coelibatus multo praestantiorem atque utiliorem esse matrimoniali statu; tum quia non mediocris animi firmitas, cautio, diligentia, ceterarumque virtutum adminicula necessaria sunt, ut sensuum illecebrae sedulo coerceantur; tum quia ad res maximas in reipublicae bonum gerendas honesti caelibes aptissimi sunt.

SECTIO TERTIA

DE OFFICIIS CHARITATIS ET AMICITIAE

CAPUT I.

DE GENERALI CHARITATE ET AMICITIA NATURAE LEGE INTER HOMINES SANCITA.

Officia charitatis proprie dictae, ut p. 3. c. 2. declaratum est, ab officiis justitiae in eo differunt, quod haec *perfectis* aliorum juribus, illa vero juribus *imperfectis* respondent, quae

nihil aliud sunt, quam ratio a natura homini concessa opem ab aliis in suis indigentiis postulandi et gratis obtinendi. Quapropter sicut totius justitiae fundamentum, unde caetera ejus decreta profluunt, in eo effato continetur. *Sua cujusque sarta tectaque sunto :* ita universae charitatis officia hoc decreto comprehenduntur : *alienae indigentiae pro viribus subveniatur.* Quaeritur itaque utrum et quatenus lex naturalis generalia haec charitatis et amicitiae officia revera praescribat? Quamquam concedendum sit, hominis necessitatem, et indigentiam nonnisi imperfectum jus ei tribuere ad auxilia sibi necessaria ab aliis impetranda, quia haud semper haec auxilia consequi, nunquam autem per vim ea sibi vindicare potest: tamen indubium est, quin, positis conditionibus de vera proximi indigentia, et de actuali ac relativa facultate eidem sine gravi suo incommodo subveniendi, officia charitatis et generalis amicitiae aeque ac justitiae officia veram obligationem naturalem habeant, quam nefas omnino sit praeterire. Et re quidem vera id ex ipsa societatis essentia, ad quam homines natura sua factos esse novimus necessario sequitur. Societas enim humana nihil aliud est nisi unio moralis, idest unio voluntatum, studiorum, et actionum ad eumdem finem conspirantium, uno verbo amicalis connexio et reciprocatio. Jamvero amicalis haec connexio et reciprocatio primo quidem exigit, ut jus suum homini integrum servetur, nec ulla in re ei noceatur, secus enim non amor et societas, sed exitiale odium, dissociatio ac bellum oriretur, neque ullus amicitiae aditus patere usquam posset. Qui autem hominem non odit, is nondum ejus amicus dici recte possit: nisi enim eum diligas, ejusque bonum ac felicitatem ames et studeas pro virili adjuvare, amicitiae nomen nunquam consequeris. Natura igitur quae hominem socialem voluit, idest in mutua cum ceteris amicitiae reciprocatione constitutum, non modo a reliquorum odio et laesione tutum esse eum voluit, sed etiam jus ei vere dedit ad haec charitatis et benevolentiae officia ab aliis obtinendi. Naturali autem juri vera obli-

gatio respondeat necesse est. Hinc jus hoc et correlata obligatio pluribus modis (ut perspecte animadvertit Genuensis, et ex nostra dissertatione de sociabilitate facile erui potest) natura ipsa omnibus intimat planeque declarat; ex his enim naturae humanae proprietatibus, atque essentialibus, quae inter homines intercedunt, relationibus necessario prodit. Primo inquam ex similitudine naturae: nam cognationem inter nos naturalem constituit Deus, neminemque ita praevalentem procreat, ut non altero indigeat saepe: similitudo autem naturae, naturalisque cognatio, quae inter omnes est homines, ac communis omnium imbecillitas et indigentia mutuam amicitiam expostulat. Tum energici et amicabiles illi motus hominis adversus hominem, scilicet commiseratio, humanae familiaritatis et conversationis desiderium, naturalis pietas, amor, amicitiae sensa, et alia hujusmodi eodem spectant: namque ira, timor, abominatio et similia, non primi ac directi sunt humani cordis affectus, sed quamdam antecedentem laesionem et injuriam supponunt unde illi excitantur, qui tamen nonnisi ex efferata hominis malitia in ulciscendi libidinem, crudelitatem et inimicitiae odium convertuntur. Tertio denique vera et solida utilitas, quae mirandum in modum ex hac officiorum reciprocatione in omnes homines diffunditur, quibus sublatis, cognatio illa et societas humani generis distrahitur, apprime demonstrat, id quod praeclare dictum est a veteribus sapientibus, homines *non sibi solis natos esse, sed hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se aliis alii prodesse possint*: quare *in hoc debemus naturam ducem sequi, et communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter se societatem.* (Cic. de off. I. c. 7.) Atque illud Terentii et in pectore et in ore cuique sit oportet

Homo sum, humani nihil a me alienum puto.

Hinc non solum a philosophis, sapientissimisque principibus ac legumlatoribus; verum etiam communi omnium consensione

homines inertes, desidiosi, avari, immisericordes omni vituperio, et abominationis odio undique repelluntur; contra vero benefici ac liberales summis efferuntur laudibus, omniumque studiis, honoribus et amore coluntur, et expetuntur. Hoc autem praecipuum christianae religionis dogma est; qua docemur *ex amore Dei et proximi universam pendere legem.* Paulus charitatem dicit *complementum legis et summam legis,* sine qua quidquid magni ac praeclari fiat, nihil prorsus aestimabitur: et scribens ad Colossenses c. 3. enumeratis aliis officiis hominis christiani, concludit: *super omnia charitatem habete.* Joannes, qui charitatis apostolus dici merito possit, perpetuum praedicationis suae thema habuit: *filioli diligite alterutrum:* nam qui hoc fecerit legem implevit. Cum ergo *membra simus unius corporis magni* (Senec. ep. 95. ad Luc.) idest universae humanae societatis; naturae nostrae ratio ab unoquoqne exigit, ut et generali omnium bono, et peculiari singulorum utilitati ac indigentiae inserviamus. Primum igitur et perenne generalis amicitiae officium est, ut quisque in tota sua vita, assiduo studio, opera, artibus reipublicae prosit: ex quo quamquam, ut aequum est, multa nobis bona, et nominis nostri commendationem consequamur; nos autem nobiliori charitatis amore animati haec efficere debemus, ut si quo adverso casu, aut invidia, bona nostra merita pessime rependantur; tamen nos studia et opera nostra charitatis regula prosequamur. Itaque praeclare Puffendorfius (L. 3. de Jur. Nat. et G. c. 3.) pronuntiat, *in legem naturae peccare eos, qui nulla honesta arte se excolunt, sibique ignavi, aliis graves, animam pro sale habent, ne putrescant, aliorum fruges consumere nati.*

Porro praeter hunc constantem amorem societatis assiduosque labores publicae utilitati consecratos, quaedam persaepe peculiaria in singulos praestari debent amicitiae officia, quae duplicis generis sunt *humanitatis* nempe et *beneficentiae.* Alia itaque appellantur officia *humanitatis* et *innoxiae utilitatis,* quae *media* et *communia* a stoicis dicebantur, et sunt gene-

ris ejus, quod ab Ennio positum in una re transferri in multas potest

Homo qui erranti comiter monstrat viam,
Quasi de suo lumine lumen accendat, facit:
Nihilominus ipsi lucet cum illi accenderit.

unde concludit Tullius (de off. l. 16.) » Una ex re satis » praecipit, ut quidquid sine detrimento possit commodari, » id tribuatur vel ignoto. Ex quo sunt illa communia: non » prohibere aquam profluentem; pati ab igne ignem capere, si » quis velit; consilium fidele deliberanti dare: quae sunt iis » utilia qui accipiunt, danti non molesta ». Eodem spectat illud Pythagorae, *arborem fructiferam neque corrumpendam, neque violandam:* Et Platonis lex l. 8. de Leg., *nec spicilegium in messe, nec racemationem in vindemia faciendam:* eademque lex data Hebraeis Levit. c. 19. et 23: et Deuteron. c. 24. Quae omnia innoxiae utilitatis officia indigenti crudeliter denegare ferae est, non hominis. Officiis autem istis humanitatis multo praestantiora sunt ea, quae *beneficentiae* dici consueverunt, quibus nempe opem ferimus indigenti eique beneficia impertimur cum quodam rei nostrae detrimento et incommodo. Si autem vere benefici esse volumus, vera debent esse beneficia quae in alios conferimus. Est autem beneficium *res vel actio alteri profutura, quam ei sine animo restitutionis aut retributionis praestamus.* Primum itaque cavendum est, ne obsit benignitas iis ipsis, quibus benigne videbitur fieri. Nam qui gratificantur cuipiam (ait Cicero) quod obsit illi cui prodesse velle videantur, non benefici neque liberales, sed perniciosi assentatores judicandi sunt: cum ea tribuant, quibus vel mores, vel res familiaris corrumpatur. Sin autem *actio aut res nostra alteri profutura sit,* considerandum est etiam quo animo eam praestemus: utrum scilicet ab amicitiae et benefaciendi studio, an a prava cupiditate ducamur. Alii enim beneficia foenerantur, et a quo plurimum sperant, etiam si is non eget, tamen ei potissimum inserviunt. Videre etiam licet plerosque, inquit Tullius, non

tam natura liberales, quam quadam gloria ductos, ut benefici videantur facere multa, quae proficisci ab ostentatione magis quam a voluntate videantur. Talis autem simulatio vanitati est conjunctior, quam aut liberalitati aut honestati. Porro beneficentiae officia vel in universae reipublicae utilitatem conferuntur, eaque praeclarissima liberalitatis et magnanimitatis opera censenda; vel si singulis impertiuntur, omnia sub eleemosynae nomine comprehenduntur, qua scilicet significatur quidquid liberalitatis et humanitatis in calamitosum quemque ex commiseratione conferimus: eamque generatim ita describit S. Augustinus in Enchyr. c. 72. *Dare esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestitum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, aegroto vel incluso visitationem, captivo redemptionem, debili subvectionem, caeco deductionem, non sano medelam, erranti viam, deliberanti consilium, et quod cuique necessarium est indigenti.* Quanto autem in honore vel apud ethnicos haec beneficentiae officia habita sint, praeter ea quae diximus, plena est aliorum exemplorum vetustas: quemadmodum fuere Lacedemone et Athenis statuta symposia, quas ὁμιλίας vocabant; quasque in sua Repub. sanxit Plato; idque Minois lege sancitum Cretae. Similia quoque apud Romanos videre est in Symposiacis Plutarchi l. VII. quaest. 4. Itemque penes Graecos, Romanos, et barbaros latissime propagata et sanctissime custodita hospitalitatis officia. Quid vero repetam Evangelicae legis praecepta, quae tota quota est in una charitate concluditur? Ceterum in beneficiis aestimandis plura considerari debent. Cum enim benefici ac liberales esse possimus aut subita et imminenti data occasione, aut constanti et continuato studio; sive ex re familiari sive opera nostra; aut in rebus quae ad vitam hanc, aut quae ad animum et futuram vitam pertinent; et rursus vel in iis quae ad unum, aut quae ad plures referantur; haec certe multo illis praestantiora reputanda sunt. Multi enim ait Tullius, faciunt multa temeritate quadam, sine judicio vel modo, in omnes repentino quodam quasi vento, impetu animi incitati: quae

beneficia aeque magna non sunt habenda atque ea, quae judicio, considerate, constanterque delata sunt. Quamquam autem cum in eo qui pecunia tum in eo qui opera benigne facit indigentibus insit gratificandi liberalis voluntas; tamen altera ex arca, altera ex virtute depromitur; quare *quo in plures ea usus sis, eo minus in multos uti possis. At qui opera idest virtute et industria benefici et liberales erunt, primum quo pluribus profuerint, eo plures ad benigne faciendum adjutores habebunt: deinde consuetudine beneficentiae paratiores erunt et tamquam exercitatiores ad bene de multis promerendum.* Qui autem assiduo studio et opera id efficit, ut plures vel unum etiam benemoratum, atque in artibus optimisve disciplinis peritum reddat, eum nullo unquam humano praeconio satis commendatum, nulla mortali pro meritis remuneratione satis donatum putaverim. *Quid majus,* ajebat Chrysostomus *quam animis moderari, quam adolescentulorum fingere mores? Omni certe pictore, omni certe statuario, ceterisque hujusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui juvenum animos fingere non ignoret:* illi enim perbella civitatis ornamenta, hic autem viros optimos, reipublicae ac religioni utiles facit. Haec et similia aut ad liberalitatem animique magnitudinem pertinent, aut sunt humanitatis ac beneficentiae officia lege naturae omnino praescripta. Quando ergo haec de mero consilio, quando autem de praecepto erunt? Adeo ut ad peculiaria humanitatis et beneficentiae officia exhibenda vi legis teneamur, duo requiruntur: primo hominem in vera indigentia seu necessitate constitutum esse, tum nobis facultatem suppetere, qua ei sine gravi incommodo opem ferre valeamus. Quoad primum praeclare Ennius

Benefacta male locata, malefacta arbitror:

sunt enim multi calamitosi, digni calamitate, qui ob ignaviam et malitiam in voluntaria animi corporisque indigentia marcescunt, quos increpationibus, poenisque excitare, non beneficiis in vitio enutrire misericordiae est. In iis autem qui in vera calamitate et necessitate sunt sedulo considerandum

est et calamitatis genus num animi, aut corporis rerumque externarum defectu laborent; tum etiam ad ejusdem gradum attendendum est: triplex enim proximi necessitas considerari potest,prima quidem *extrema cui si non succurratur proximi vita certo vel probabiliter periclitabitur:* altera *gravis cui si non subveniatur proximus vitam aegre conservabit*, tertia tandem *communis, qualis est eorum qui ostiatim mendicare solent.* Postremo personae quae calamitatem patitur qualitas et conditio considerari debet. Minime dubitandum est, quin spiritualia quolibet temporali bono praeferenda sint, adeo ut, si in vera *necessitate* spirituali quis fuerit, dummodo *certa* sit *spes* illum juvandi, neque *gravius inde malum* immineat, quisque teneatur ei opem ferre cum quovis etiam nostro temporali damno. In collocando autem beneficio, ut recte monet Tullius, si cetera paria sint, hoc maxime officii est, uti quisque maxime opis indigeat, ita ei potissimum opitulari. Sed si contentio quaedam et comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum sit officii, principes erunt patria et parentes, quorum beneficiis maximis obligati sumus; proximi liberi, totaque domus, quae spectat in nos solos, neque aliud ullum potest habere perfugium; deinceps bene convenientes propinqui, atque ita gradatim de reliquis. Praescripsere haec veteres in *carmine aureo*, quod Pythagorae tribuitur (apud Stanlejum hist. Philos. p. 8. c. 4.)

Primum immortales Divos pro lege colunto
Et jusjurandum: Heroas clarum genus inde:
Daemones hinc terris mixti sua jura ferunto:
Inde parentis honos sequitor: tum sanguinis ordo:
Post alii sunto, virtus ut maxima, amici.

Quibus omnibus quoad indigentiae naturam et quantitatem, et quoad personarum ordinem servandum perspectis et cognitis, considerari etiam oportet, utrum facultas et media nobis praesto sint, quibus sine nostro relativo gravique detrimento calamitosos levare possimus: recteque Seneca ajebat *succurram perituro, sed ita ut ipse non peream; dabo*

indigenti, sed ita ut ipse non egeam. Quia plus tenetur homo vitae suae suisque juribus providere, quam vitae rebusque alienis; aliosque sicut nos ipsos, non plus quam nos amare debemus. Itaque si de iis praesertim elargitionibus sermo sit, quae fiunt indigentibus ex re familiari; notandum est quod res haec et pecunia potest esse vel *necessaria* nobis vel *superflua* ut dicitur; idque duplici ratione: scilicet necessaria aut superflua *naturae*, seu ad suam suorumque vitam substendandam; itemque necessaria vel superflua esse potest *statui* personae in suo gradu servando. Haec omnia circumspicientes boni ratiocinatores officiorum esse poterimus, et quantum cuique debeatur facile intelligemus. Itaque I. homini in extrema vitae necessitate constituto, ea bona danda sunt, quae ejus vitae servandae necessaria, nostrae autem vitae sint superflua: ut licet unus tantum supersit tibi panis, ad fores autem mendicus adsit, qui fame pereat, depromendus unicus ille ex cella penaria est. Idque non modo ex officio charitatis, sed ex vera justitiae lege debetur; in articulo enim *extremae alterius necessitatis* jus tui dominii desinit: quia necessitate extrema laborans potiorem rationem, ideoque jus perfectum habet ad ea media, quae aliorum vitae tunc necessaria non sunt, quibus autem ipse orbatus periret: quare a crudelis renuentis manibus etiam adhibita vi ea sibi vindicare jure poterit. II. Gravi necessitate laboranti dandum est auxilium e rebus quae statui nostro supersunt: quorum propterea imminutio gravi incommodo nobis esse non potest. Qua in re notanda est prop. XII. ab Innocentio XI. meritissime damnata, quae ita se habet ». Vix in saecularibus » invenies etiam in Regibus superfluum statui. Et ita vix » aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur ex superfluo » statui ». Quae propositio si vera foret, nunquam non modo communi, sed ne gravi quidem proximi necessitati opem ferre ex praecepto charitatis teneremur, ob eamque causam quaelibet humanitatis ac beneficentiae obligatio tolleretur. Quare optime animadvertit Dominicus Viva, putidam aequivocatio-

nem ibi reperiri; verum enim id est, si intelligatur de superfluis statui *mutando*, quem facile usque meliorem sibi quisque etsi ditissimus comparare posset; falsum vero est si agatur de *statu praesenti*: plurimi enim sunt etiam in mediocri fortunae gradu, quibus suppetunt ea quibus bene se habeant, et quaedam praeterea praesenti eorum statui supeflua sint. III. Denique communem necessitatem communibus perexiguis beneficiis juvandam esse suadet humanitas, eaque ad officia innoxiae utilitatis reducuntur.

Quamquam vero haec beneficentiae et humanitatis officia *imperfecta* dicantur, utpote quae *imperfectis* juribus respondeant, tamen, positis conditionibus, qui ea praetermittit legem naturae violat: ac si hujusmodi violatio ad *stricti juris* lancem punitioni et compensationi cogi nequeat; attamen aeternae legis sanctio est illa quae dicit *qua mensura mensi fueritis remetietur et vobis*. Quare in Evangelio sicut amplissimae et divinae remunerationes promittuntur iis, qui viscera misericordiae indigenti et calamitoso non clauserit, ita immisericordi et inhumano teterrimas punitiones divinae literae comminantur. Hinc, Matthaeo testante (24), divini examinis et sententiae ratio in ultimo judicii die sive ad vitam, sive ad mortem ferendae, aut fideli officiorum charitatis exercitio, aut immani eorumdem recusationi innitetur.

Porro acceptis beneficiis *gratitudinis* debitum respondet. Officium hoc naturale omnes vel barbari, et inculti homines sentiunt. *Quae enim natio, ait* Cicero de legibus, *non comitatem, non benignitatem, non gratum animum et beneficii memorem diligit? Quae superbos, quae maleficos, quae crudeles, quae ingratos non aspernatur non odit?* Quin etiam feras ipsas immanissimas beneficiis mitescere, et mansuetas in eos a quibus beneficia acceperint videmus. Jamvero gratitudo consistit in peculiari quodam animi affectu erga eum qui sibi benemeritus fuerit, unde fit, ut memores simus beneficii, eumque specialis amoris significatione prosequamur, colamus, et data occasione gratiam ei quoque referamus. Id enim prae-

ter primitivum illud naturae sensum ratio ipsa declarat. Si enim omnes homines, ob ingenitas proprietates, quibus nostri similes et socii constituuntur, lege naturae amare et juvare debemus; qui vero opera sua suisque beneficiis nobis profuerunt jus acquisitum habent, quibus specialis amoris affectus et officia respondeant, necesse est. Quare merito inquiebat Tullius (de off. I. 1. c. 15.) » nullum officium referenda gratia magis » necessarium est. Quod si ea, quae utenda acceperis, majo- » re mensura, si modo possis, jubet reddere Hesiodus: quid- » nam beneficio provocati facere debemus? An imitari agros » fertiles, qui multo plus afferunt, quam acceperunt? Etenim » si in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus » beneficia conferre; quales in eos esse debemus qui jam » profuerunt? » Recte igitur vetus ille poëta cecinit

Ingrato homine nil terra pejus creat.

Multiplicem autem ingratitudinis speciem ita describit Seneca de Ben. l. 3. c. 1. *Ingratus est qui beneficium se accepisse negat*; *ingratus qui dissimulat; ingratus qui non reddit; ingratissimus omnium qui obliviscitur.* Enim vero qui beneficia maleficiis rependit, non hunc ingratum sed inhumanum, truculentum et tartareum dixerim.

CAPUT. II.

DE SPECIALI AMICITIA LIBERA ELECTIONE INITA.

Hactenus de *generali* amicitia absoluto legis naturalis praecepto inter homines quosque sancita locuti sumus, nec non de peculiari quadam amoris et officiorum reciprocatione ex aliquo facto et hypothetica naturae ipsius obligatione inducta, inter conjuges nempe, parentes, liberos, propinquos etc: superest modo, ut de illa benevolentiae conjunctione nonnulla dicamus, quae ex libera hominum electione inter duos aut plures ineatur, quae proprie et eminenter *amicitia* nominatur. Praecellens sane vitae humanae solatium et praesi-

dium: cui enim potest esse *vita vitalis*, ait Ennius, qui non in amici benevolentia conquiescat? Itaque in proverbii consuetudinem venit, *non aqua non igni nos pluribus locis uti quam amicitia*; de qua tam multa et praeclara non solum in divinis libris, et a christianis scriptoribus, sed ab ipsis ethnicis philosophis sapientissime tradita et praecepta sunt. Quare peropportunum duco, in re tam gravi ac perdifficili nonnulla saltem disserere, quae juvenibus ingenuis incitamento et documento sint, ne in amicis sibi comparandis aut oscitanter negligenterque, aut imprudenter et inconsiderate se gerant. Sicut enim nihil melius in rebus humanis dari potest, quam veri amici consuetudo et fides: ita nulla capitalior pestis homini accidere posset ficto simulatoque amico, et quod deterius est nulla fortasse in re dijudicanda facilius erratur. Multi enimvero falso et simulato amici nomine gloriantur: praetermissis enim perfidis ac vaferrimis illis, qui cum maxime fallere et perdere incautum quemdam student, id agunt ut benevoli ac fidelissimi amici videantur; vel qui in intima aliorum conjunctione instituenda nonnisi comites ac ministros vitiorum et cupiditatum sibi adsciscere inhiant: qui quidem non amici, sed proditores, et infensissimi inimici appellandi sunt. His itaque praetermissis, fatendum tamen est, ut ait Seneca ep. III. quod *verbo amicitiae saepe quasi publico utimur, et sic aliquem amicum vocamus, quomodo omnes candidatos, bonos viros dicimus, quomodo obvios, si nomen non succurrit, dominos salutamus*. Quisquis enim aliquem forte noverit cum quo aliquantulum familiariter conversatus sit, vel cum quo negotiationis causa societatem etsi honestam ac fidelem iniverit, eum amicum illico appellat. Sunt etiam permulti ficti ac simulati amici, qui non amicos, sed se ipsos et amicorum bona amant, scilicet socii mensae, hilaritatis, ludorum; multi quoque aliorum dignitatis, opum, potentiae amatores, quorum si forte fortuna ceciderit, tunc demum intelligunt, quam fuerint inopes amicorum: quos enim utilitas conglutinavit, eadem commutata

dissolvit. Quare nullum praeclarius verae amicitiae signum, quam quod Ennius ait. *Amicus certus in re incerta cernitur.* Itaque ut veri amici characteres et essentiales proprietates dignoscantur, animadvertendum est, ex minimis et fortuito plerumque repetendum esse ortum amicitiae, cum scilicet similem nobis indole, ingenio, studiis nacti simus, praesertim si praeclara quadam animi dote et virtute praestare videamus, eum suspicimus, colimus, ejusdem consuetudine uti desideramus. Atque hinc natura gignitur sensus diligendi, facta utrinque similitudinis, probitatis, mutuaeque reverentiae ac benevolentiae significatione. Quare paulatim ea intima voluntatum consensio et unanimitas fit, ex qua quod utrique optimum fore desiderant, simul consequi posse facilius confidunt. Itaque ortus amicitiae generosus est, et amicorum amor haud mercenarius sed gratuitus, quia non amici res, verum ipsam ejus personam diligimus, et bonum amici aeque ac nostrum adamamus. Optimum denique in virtutibus proficiendi votum amicitia habet: ex quo fit ut verae amicitiae sempiternae sint. Ceterum in vera etiam ac fideli amicitia multi dantur perfectionis gradus. Sunt enim multi inter se benevola voluntate conjuncti, qui nefas omnino putant quidquam contra amicum facere, dicere, vel etiam cogitare, sed sese invicem sincere amant, optima quaeque sibi invicem exoptant, et data occasione alter alteri opem liberaliter et amice praestat; in his autem communibus amicitiis multa amici negotia ignorantur, non omnia animi penetralia aperta invicem sunt: et transeunt identidem dies, menses, et fortasse etiam annus solidus, quo nulla vel minima mutuae benevolentiae significatio fiat. Verae tamen sunt amicitiae, generosae, gratuitae, optimique propositi. Quo igitur intimius, quo intensius amicorum animi et voluntates copulantur, eo magis ad summum et perfectum amicitia gradum accedit, quem tum demum consequitur, cum ex duobus vel admodum paucis unum fiat; est enim verus et perfectus amicus tamquam alter idem et unanimis, idem utrique velle

et nolle, ita ut probe definiatur a Tullio amicitia *omnium divinarum humanarumque rerum, cum benevola voluntate, summa consensio:* praeclara sane conjunctio, sed admodum rara: quare Ecclesiasticus c. VI. monet; *multi pacifici sint tibi, et consiliarius sit tibi unus de mille*: cui nempe tua secreta, et animae intima credas: *si amicus permanserit fixus, erit tibi quasi coaequalis*; scilicet *in bonis tuis erit quasi tu, cum eo unanimem habebis amicitiam bonam.* Sunt autem qui imaginarium et poeticum sublimem hunc amicitiae gradum censeant; verum hi in politiorum non modo populorum, sed et in barbarorum historiis ignaros sese prorsus ostendunt, et suum potius animum vulgarem abjectum et ad verae amicitiae sensa ineptum aperte declarant. Quamquam vera et perfecta, de qua loquimur, amicitia non ad Stoicorum normam dimetiri debemus, quasi nempe inter eos tantummodo sapientes, qui nusquam fuerunt, locum habere ea possit: nos autem de iis dicimus, qui etsi bonae frugis, et probi probatique viri sint, atque ad honesta colenda bene animati; tamen et adversis rebus frangi, et animi motibus perturbari, et mutationi subjecti esse possunt: unde fit, ut magna adhibenda sit cautio, diligentia, et quaedam sedulo servandae leges tum in qnaerenda et instituenda, tum multo magis in conservanda ac perficienda inter veros amicos unione ac fide.

Itaque in primis constituendum est, verae amicitiae *fundamentum* et *scopum* solam virtutem esse posse: ex ea enim tantum nascitur, nutritur, roboratur, perficitur. Quare amicitiam nonnisi inter bonos esse posse, tamquam axioma ponebat Tullius: etenim *virtutum amicitia adjutrix a natura data est, non vitiorum comes: ut quoniam solitaria non posset virtus ad ea, quae summa sunt, pervenire, conjuncta et consociata cum altera perveniret*: unde prima illa tulliana lex in amicitia sancienda est, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati: verum ab amicis honesta petamus, amicorum causa honesta faciamus. Cum autem, ut superius declaratum est, amicitiae *essentia* posita sit in intima animorum et voluntatum

conjunctione: hinc necesse est, ut et mutua sinceritas ac fiducia habeatur, et inviolabilis utrinque fides servetur. *Si enim aliquem amicum existimes* (inquiebat Seneca ep. 3.), *cui non tantumdem credis, quantum tibi ipsi, vehementer erras, et non satis nosti vim amicitiae.* Experiendum quidem est et diu multumque cogitandum, non solum ut callidos, fictosque amicos detegamus, eosque fugiamus; verum etiam inter bonos ac benevolos, utrum quis idoneus inveniatur, qui in intimam amicitiam recipiatur: multos enim salis modios una edendos esse monent sapientes, donec amicitia penitus coalescat. Si quem autem amicitia tua dignum perspectum probatumque forte repereris, et placuerit, tum, ait Seneca; *toto illum pectore admitte; tam audacter cum illo loquere, quam tecum; sed quia interveniunt quaedam quae consuetudo fecit arcana, cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas misce. Fidelem si putaveris, facies. Nam multi fallere docuerunt, dum timent falli: et aliis jus peccandi suspicando fecerunt. Quid est ergo quare ulla verba, coram amico retraham? Quid est, quare me coram illo non putem solum?* Huic autem sincerae et candidae cordis manifestationi inviolabilis utrinque respondere debet fides; quae tamquam amicitiae tessera habetur, ita ut verus amicus idem omnino sit ac fidus amicus. In amicitia autem non solum secreta revelare nefas censendum est (*commissa enim tacere qui nescit*, ait Horatius, *hic niger est*; *hunc tu Romane caveto*); verum etiam familiares vulgare sermones, capitale est.

Porro amor ex quo amicitia nominata est, princeps est ad benevolentiam conjungendam, eamque perpetuo servandam. In primis autem amor iste *reverentialis* esse debet: non modo enim eos amicos, qui ingenio nobis, aetate virtute ac dignitate praestant, revereri et colere aequum est; verum in eos quoque, quos vel aequales, vel aliqua in re inferiores nobis videamus, submisse et modeste nos gerere debemus: qui enim verecundiam ac reverentiam ex amicitia tollunt, ipsam amicitiam vitiant, et tollunt. Etenim inter quoslibet cujusque gradus et conditionis viros amicitia ineatur,

haec duo concurrere solent, magna nempe similitudo in essentialibus, in accidentalibus vero dissimilitudo; itaque quibus una mens, cor unum, idemque propositum sit, eos sic inter se temperatos plerumque videmus, ut quod in uno deest in altero abunde suppetat. Qui enim e. g. praestanti ingenii vi praeditus, et omnigena eruditione pollens, sed nimis fortasse fervidus et praeceps natura sit, et in politioribus disciplinis non admodum excultus, facile in candidi et ingenui amici benevolentia conquiescit. Quem etiamsi mentis subtilitate et amplitudine, animique vi multo se inferiorem noverit, tamen ob judicii sobrietatem et culturam, ob diligentiam, modestiam reliquasque viri boni virtutes eum exemplar sibi proponere possit ad imitandum. In vera autem amicitia, benevola voluntas ac reciprocus amor efficax, constans et fervidus sit oportet. Non solum enim optima quaeque sibi invicem amici desiderare, sed summo etiam studio constanter et vehementer procurare et efficere debent. Omnia autem haec reciprocae benevolentiae officia ad duo capita potissimum referuntur, ad consilium scilicet et auxilium. Nec expectemus autem dum rogemur, inquit Tullius, *studium semper adsit, cunctatio absit: consilium vero dare gaudeamus libere; plurimum in amicitia amicorum bene suadentium valeat auctoritas*; *eaque et adhibeatur ad monendum, non modo aperte, sed etiam acriter, si res postulabit; et adhibitae pareatur:* idque multo magis in prosperis rebus, ne animus sese efferat insolentius. Danda etiam opera est, ut in rebus dubiis, in periculis, in adversis consolationes et opem studiose praestemus, nec non in subeundis pro amico incommodis ea efficiamus leviora. *Duo enim sunt quae amantem produnt, amato benefacere, et pro amato cruciatus ferre, et hoc est majus.* Sed quoniam non vivitur cum perfectis hominibus, sed cum iis in quibus praeclare agitur, si minimis urgeantur vitiis; hinc naturales defectus, aut etiam leviora peccata, si emendari statim nequeant, patienter ferenda ac dissimulanda sunt. Ut pater gnati, sic nos debemus, si quod sit

amici vitium, non fastidire. *Amicus dulcis, ut aequum est,* (inquiebat Horatius l. I. Sat. III) *cum mea compenset vitiis bona, amari si volet: hac lege in trutina ponetur eadem ... Quid tu nulla ne habes vitia? imo alia haud fortasse minora,* quare *qui ne tuberibus propriis offendat amicum postulat, ignoscat verrucis illius.* Itemque amicus amicum aliqua in re dissentientem aequo animo ferat; et si quae sunt amici opiniones et consilia, quae minus probentur, non acerbe et pertinaciter repugnare, verum blande et modeste flectere potius ejus animum studeamus: multa enim physicae constitutioni, educationi, loco, tempori, aliisque circumstantiis indulgenda sunt: omnium autem hominum amicitiis ineptissimi sunt, ut monet Genuensis, qui dicuntur contradictores perpetui et acerbi. Maximum denique amicitiae condimentum et incitamentum sermo dulcis, et idem semper vultus, eademque frons; numquam intempestiva et molesta, sed grata et frequens conversatio, nulla negotiorum aut locorum distantia intermissa; si enim remittas animum, paulatim friget amicitia et facile dissolvetur. Quod ne accidat summopere cavendum est. *Haec est* enim *societas,* inquiebat Tullius, *in qua omnia insunt, quae putant homines expetenda, honestas, gloria, tranquillitas animi atque jucunditas: ut, cum haec adsint, beata vita sit, et sine his esse non possit. Quod cum optimum maximumque sit, si id volumus adipisci, virtuti opera danda est, sine qua neque amicitiam, neque ullam rem expetendam consequi possumus.* Quae sapientissima Tullii monita cum iis apprime cohaerent, quae Deus ipse in Ecclesiastico profatur dicens. « Amicus fidelis profecto » fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Ami- » co fideli nulla est comparatio, et non est digna pondera- » tio auri et argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus » fidelis, medicamentum vitae et immortalitatis: et qui me- » tuunt Dominum invenient illum. Qui timet Deum, aeque » habebit amicitiam bonam: quoniam secundum illum erit » amicus illius «.

Haec de amicitia quamvis leviter et succisive pertractans fateri debeo, haud leviter me commoveri desiderio amici carissimi Aloisii Bonelli immatura morte abrepti, quo meliorem aut parem ingenio, virtute, et exquisitissima atque effusissima cordis dilectione vix inveniri posse putem. Equidem illud Chrysostomi (De sacerdotio l. I. c. I.) jure meritoque affirmare possum, quod ille prae animi sui in me benignitate dicere solebat. » Mihi quidem amici complures fuere; iique germani et veri, qui amicitiae leges et probe intelligerent, et diligenter observarent. Horum vero complurium unus, qui ceteros omnes amicitia longe superabat, tantum illos retro relinquere studebat, quantum illi reliquos mediocriter erga me affectos. Is ex eorum numero erat, qui lateri meo perpetuo haereret; etenim iisdem tum disciplinis tum magistris operam dedimus. Unum utriusque erat circa literas studium, una sollicitudo: par desiderium iisdem ex rebus natum. Neque enim solum cum ad magistros ventitaremus, sed etiam cum illinc egressos consilium inire oporteret, quod praestantius vitae genus nobis capessendum esset, tunc etiam idem consensus apparebat ». Verum cum illo actum est praeclare: tali enim virtuti iter ad immortalem vitam patuisse expeditissimum certe confido. Ceterum me ipse consolor; et maxime illo solatio, quod spero, haud longo spatio interjecto, nostram amicitiam sempiternam fore. Interim vero operi huic, quodcumque sit, finem faciens, quod nulli ex maximis Principibus, qui generosa stirpe, opibus, potentia et dignitate excellunt, prae mea tenuitate ausus sum offerre et sub ejus tutela ponere, id te, amice carissime, vehementissimo impulsore et consiliario susceptum, quodque antequam integrum in lucem prodierit, ipse luce hac orbatus es, id inquam quidquid est et qualecumque amicitiae tuae sacratum volo: atque in aeternum vale.

SYNOPSIS TRACTATUS DE OFFICIIS

PARS PRIMA.

DE OFFICIIS ADVERSUS DEUM.

Religio est ea virtus per quam homines Deo debitum cultum et reverentiam exhibent. Primum est autem Deum nosse, consequens colere: primum nempe officium adversus Deum est *theoreticum*, quo ea quae ad Deum pertinent studiose omnibus ediscenda esse praecipitur. Etenim recta et in hominis animo penitus impressa cognitio de Deo ejusque attributis ac providentia est fundamentum necessarium cum ceterorum officiorum (Tr. I. Se. II. Th. III), tum multo magis eorum quae practice adversus Deum exhibenda sunt. Amussis enim religionis est vera divinitas, et certa ac vera cognitio de ejus juribus et voluntate: Secus *irreligiositas*, *superstitio*, *impietas* haberetur. Veritates autem hujusmodi recta ratio una cum divina revelatione nos edocet. Divina enim revelatio et revera facta est, et in naturae oeconomia necessario continetur. Quae enim de Deo et de vera religione solo rationis lumine a paucis post longum tempus, assiduumque studium, cum admixtione errorum, et saepe non admodum adaequate et evidenter cognoscuntur, ea facile, cito, sine ullo errore, summa certitudine singulis veritatem scire volentibus omnia scitu necessaria divina revelatio ab Ecclesiae tribunali infallibiliter proposita tradit; tum ea quae secundum rationem sunt, tum ea quae sunt supra rationem. Ad id autem necessaria est instructio, meditatio, diligentia. At enim, inquies, haec omnia perscrutari paucorum est, caeterorumque vires excedit: hujusmodi ergo religionis studium nequit esse omnibus aeque praeceptum: imo maxima pars hominum con-

teuti esse debent religione in qua nati sunt et educati. Resp. I. Cum in ceteris rebus, tum multo magis iu religionis negotio nihil absurdius *indifferentismo*. Quia una tantum est veritatis via. Resp. II. Excedit quidem plurimorum vires alta, sublimis, ac scientifica harum rerum iuvestigatio: non autem ea, quae fiat ab homine corde recto, in Deo fidente, ab eoque iutelligentiam humiliter efflagitante, atque iis mediis, quae sibi praesto sunt, diligenter utente. Illa saepe iu cogitationibus suis evanescit: haec viam veritatis semper inveuiet.

Porro quoad *practicum* religionis officium, dico quod, supposita Dei existentia ac provideutia, necessario contra praesciudentes et receutiores deistas concludendum est; 1°. Deum tum internis tum externis actibus colere naturae lege nos omniuo juberi: 2°. Mentiri autem religiouem abscisse vetari. Eteuim quoad *cultum internum seu venerationem mentis Deo devotae internis actibus elicitam* manifesta res est. Hominis euim mens Dei attributa, et opera creationis ac provideutiae contemplans, novit Deum bonorum omnium fontem, supremum Dominum, legislatorem, remuneratorem ec. uno verbo praestautissima *Dei in homines jura* novit: ergo et *obligationes* diviuis juribus *relativas*, actus nempe veneratiouis, grati animi, timoris, spei ec.: jurium enim conceptus sine respondentibus obligationibus haberi nou potest. *Cultus autem externi necessitas* probatur ex indigentia tum uostra tum aliorum. 1. Nos rebus materialibus cuncta coguoscimus: unde absque externis signis nec coucipimus nec servamus rerum etiam immaterialium ideas: quare nec Dei ideam praeseutem habere, uec erga eum debita reverentia, honore, amore affici possumus, nisi externis signis utamur. 2. Ex officiis erga alios. Societatis uexus est religio, ita ut ea sublata, societas ipsa consistere, homiuesque in officio contineri nequeant (Tra. I. Sec. II. Th. III). Ergo aliis constare debet interior religio: ergo in externa signa debet prodire. Quare locum amplius nou habet objectio illa, quae ait Deum externis signis non indigere, ut intima animi sensa cogno-

scat. Multoque magis corruit illa, qua externus cultus velut noxius Deoque indignus reprobatur. Quod verum quidem est de religionis formis per accidens vitiosis vel ob defectum internae venerationis, vel ob externa signa Dei juribus contraria : non autem de cultu externo recte considerato, qui definitur *veneratio mentis Deo devotae externis signis manifestata*. Etenim praeter adducta accedunt alia *congruentiae* argumenta. Cum enim homo non solum animi sed etiam corporis facultates a Deo acceperit, et ab eo conserventur, fatendum est, *congruenter* omnino ipsius varios motus ec. in ejus venerationem exhiberi. Aequum porro honestumque putamus erga parentes, amicos, ac beneficos quosque maximas et agere et referre gratias. Similia autem Deo O. M. exhibere turpe et inutile censebimus ? Et ut cetera societatis studia monumentis publicis serventur, alantur, commendentur, curabimus, non vero id quod est praecipuum ejus ligamen?

Hinc facto philosophico thesis confirmatur. Etenim « Si » terras obeas invenire possis urbes muris, literis, regibus, » domibus, opibus, numismate carentes ... Urbem vero tem» plis diisque destitutam, quae precibus jurejurando oraculo » non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris » avertere nitatur, nemo unquam vidit » (Plutarcus).

De *negativa* autem thesis parte, dico *nunquam licere religionem simulare ac mentiri*. Veritas haec, quae tamquam divinitus revelata in catholica ecclesia semper tradita et retenta est, argumentis quoque philosophicis evidenter demonstratur. Etenim religionis simulatio (scilicet externa professio internae animi persuasioni contraria) *formali* impietatis peccato semper notanda est. Quisqnis enim actum humanum facit, quem legi cuidam contrarium novit, is peccati formalis reus constituitur. Iam vero qui religionem simulat, is prudens et sciens actum humanum facit Dei juribus contrarium, atque aliis hominibus universaeque societati perniciosissimum: ergo ec. Id autem communi omnium consensione locupletissime confirmatur, qui quamcumque simulationem ac menda-

cium praesertim noxium cum in genere, tum multo magis in religionis negotio omnino reprobant. Neque dicant deistae, aliquando licere posse orthodoxo falsam religionem exterius profiteri, vel quia censenda non sit vere simulatio *falsis* religionis *formis* sese accommodare ad fovendum *verum internum sensum* religiosum in iis qui circa Dei notionem *invincibiliter et innoxie* errant: vel quia si vera simulatio adsit, tamen in collisione graviorum jurium e. g. suae vitae aut publicae tranquillitatis servandae liceat indirecta religionis simulatio. Quibus respondetur 1. erroneam esse distinctionem inter *formas* religionis falsas et sensum internum verum; error enim externus cum interno errore conjungitur: 2. innoxios hosce errores esse iis qui invincibiliter errant quatenus eis non imputentur, at perniciosissimi sunt ob pessimos quos producunt effectus. 3. Collisionis regula haec est, quod *minus cedit majori.* Ergo omnia naturae praecepta praesertim affirmativa cedunt praecepto de non simulanda religione, quod et negativum est, et ad ordinem officiorum supremum spectans. Stat igitur quod religionis simulatio semper mala sit, et nonnisi falsae religionis *tolerantia* aliquando licere possit.

Praeter absoluta et generalia sunt et alia hypothetica et particularia officia adversus Deum ex aliquo facto derivata; cujusmodi sunt *votum* et *jusjurandum. Votum est promissio deliberata facta soli Deo de bono meliori et possibili.* Requiritur 1. plena rei cognitio et libertas. 2. vera intentio sese obligandi. 3. ut fiat de re ad perfectionem conducente: tunc enim Deo grata et accepta est.Sicut autem ceteri contractus, ita etiam vota vel *per se irritantur*, si res promissa evadat mala, inutilis, impossibilis; vel *per voventis voluntatem* in rem certo meliorem *commutari*; vel *per Dei voluntatem* et per *ejus legitimum interpretem* aut *commutari* aut *dispensari* possunt. *Iusjurandum* vero (quo omnes ubique gentes nullum vinculum ad adstringendam fidem arctius habuerunt) *est invocatio Dei in testem et vindicem nostrarum assertionum et promissionum.* Iusjurandum *assertorium* ad assertionum veracitatem, *promis-*

sorium ad pactorum jura sanctius firmanda adhibetur. In utroque tria vitanda sunt, fraus, temeritas, iniquitas. « Iurabis (ait Ieremias 4) ... in veritate, in judicio, in justitia ». Iusjurandum promissorium ex justitiae et religionis officio obligat : nulla autem erit obligatio si fraus aut injustitia intercesserit : non est enim jusjurandum vinculum iniquitatis. Hoc itidem, sicut ceteri contractus, vel ob rei promissae substantialem immutationem per *se dissolvi et irritari*, vel ab eo cui promissum sit, *relaxari*, vel a Sacra Potestate *dispensari* aut *commutari* jure potest.

PARS SECUNDA

DE OFFICIIS HOMINIS ADVERSUS SEIPSUM.

I. *De animi cultura*; in primis quoad *intellectum*. Ut suis quisque officiis (sive iis, quae ad omnes generatim pertinent, sive iis, quae uniuscujusque status sunt propria) rite fungamur, necesse est et eadem studiose addiscere, et peritiam ad eadem exercenda adipisci. Quam intellectus culturam qui omiserit, et *peccato ignorantiae*, quod est omissio debitae scientiae, et *peccatis ex ignorantia* in suo officio male fungendo derivatis reus constituitur. Itaque in deligendo genere vitae perspecte cavendum : in quo duo vitia vitanda sunt: 1. *temeritas* : quare diu diligenterque considerare, et prudentum consilio uti, Deique lumen efflagitare debemus. 2. *timiditas*: quare monendi sunt pusillanimes *sufficientem* animi culturam esse *de praecepto*, ampliorem *de consilio*. *Ad sufficientem* autem et *debitam scientiam* duo requiruntur, ut ad consueta status et officii nostri munia, et quae differi nequeant recte obeunda et exequenda habiles simus. Graviorum autem implexorumque negotiorum saltem difficultatem internoscere valeamus, ut vel accuratiori examini demus operam, vel aliorum con-

silio et opera juvemur. Qui vero ampliori culturae student caveant discendi *intemperantiam* et *temeritatem*, ue indigesta omnigenae cognitionis mole meus opprimatur, aut quoslibet indiscrimiuatim doctores temere sectando praejudiciis et criteriis falsis imbuatur. Utrumque vitabit qui nonuisi perpaucos, eosque summos, multarumque aetatum judicio probatos auctores peuitus addiscat. Porro quoad *voluntatis culturam* considerandum est, tria in natura causarum geuera esse, quae affectus vehemeutissime excitare animique morbos inducere possunt, ipse animus seu phautasiae vis falsis rerum imagiuibus, objecta externa, et physicus corporis status. Quoad animum primum praeceptum esto *recte sapere*, scilicet efficiendum, ut a prima aetate in veris bonis diguosceudis et adamaudis assuescamus. Tum *nosce teipsum*, *ut totis viribus* (circa tamen vitium) *nitamur in contrarium illius ad quod natura maxime impellimur*, vel ipsum praevalentem affectum ad objectum utile et honestum dirigeudo, vel, quod praeclarissimum factu est, ipsam uaturalem propensionem temperando aut etiam prorsus extirpando. Cum autem experieutia constet, *animum ad quaecumque facilius trahi et suavius, si illud quo tendimus in intentione operantis non sit principale, sed tamquam aliud agendo superetur;* hinc indirecte praepotentes cordis affectus facilius perdomautur, cum in gravia et utilia toto pectore iucumbamus. Quare praeceptum omuium maximum hoc est, *ut fines vitae, actionumque deligamus et nobis ipsis proponamus rectos et virtuti congruos, qui tamen tales sint, ut eos assequendi nobis aliquatenus suppetat facultas.* Si enim decretum animi de iis assequendis et obtinendis fixum sit et constaus, sequitur, ut coutiuuo vertat se et efformet animus una opera in virtutes omues. *Cavendum autem a pensis vel magis arduis vel magis pusillis*, ue aut deficiat animus, aut torpescat. Externa vero objecta, quae incautos solent fascinare, altera ita per se inhonesta suut, ut nulla ratio sit, cur ad ea accedamus; et haec *quamprimum removenda*, et passionum *principiis illico* obsistendum. Altera autem quamvis periculi plena, fiunt tamen

contemnenda iis, qui vel necessitate cogente, vel magna sibi proposita utilitate, in eaque summo studio inherentes, praeter intentionem inter ipsa secure versantur. De physico corporis statu, experientia exploratum est, intemperantiam et inertiam sicut bonae valetudini, ita etiam bonis artibus, bonisque moribus maxime esse inimicam: qui ergo ad corporis, idem ad animi valetudinem hyppocraticus aphorismus apprime pertinet, *nunquam satiari cibis et impigrum esse ad laborem.* Sin autem quid improviso eveniat, quod animum nimio moerore dejiciat, perturbet et confodiat: tunc praeter ea quae christiana religio efficacissima remedia supernaturalia tradit, duo mediorum genera adhibenda, primo ea omnia sensibilia et mechanica, quae valeant ad virus acerbitatis evomendum, quaeque animum externa vi ad alia distrahant. Tum perturbationis aestu quiescente, animum ad saniora consilia reducere philosophia facilius poterit.

II. *De vitae cura*, ac primum de negativa praecepti parte suicidium vetante. Distinguendum suicidium *directum* ab *indirecto*: directum est actio vel omissio facta in odium vitae tamquam medium ad sibi mortem inferendam: indirectum autem est actio vel omissio ad alium finem intenta, ex qua tamen praeter intentionem mors propria sequatur. Iam vero dico. *Ex naturae lege nunquam licet absque speciali dei revelatione mortem sibi ex proposito et directe inferre.* Omnibus philosophis legis naturae existentiam profitentibus certum est, tam homicidium, quam suicidium directum lege naturae generatim vetari. Cujus praecepti ratio potissima est, quod cum tota existentiae nostrae causa in Deo sit: hinc supremum vitae dominium solius Dei est: nobis vero nonnisi vitae depositum et administratio concredita juxta legem a Deo ipso sancitam fideliter peragenda, ut aequa ab ipso merces tribuatur. Hoc autem argumentum confirmari solet ex officiis etiam quae adversus nosmetipsos et adversus alios habemus. Quare prorsus omittendae sunt omnes illae objectiones, quae vel absolutum vitae arbitrium homini tribuunt, tamquam nulla

lex moralis existeret: vel quae *ignorant elenchum*, scilicet de suicidio indirecto etc. Attamen quaeritur, an ob rerum collisionem contingere unquam possit, ut licite quis sibi mortem consciscat? Hoc omnino nego. Possibiles enim collisionis casus sunt vel ob mala physica, vel ob mala moralia. Quoad I. praetermitto quidquid dicant qui ultimum hominis finem in hac vita circumscribunt; quamquam et in hoc systemate stultum suicidae consilium facile demonstretur. In orthodoxo autem systemate quaecumque physica mala nobis immineant, vel actu nos affligant, nunquam demonstrant legem illam cessare: quia haec omnia patienter perferre verae hominis felicitati, quae in altera vita reservata est iis, qui virtutem colunt, minime adversatur. Tunc tantum adversaretur, cum haec aequo animo pati, non perillustre virtutis argumentum, sed peccatum foret: quod nemo sane affirmabit. Quoad II. ajunt melius est mori quam foedari: ergo saltem ad vitanda peccata licet suicidium. Resp. distinguo ant. melius est mori quam peccatis consentire, concedo: melius est mortem sibi consciscere, quam in periculum peccandi induci, nego. *Non enim sunt facienda mala ut veniant bona, vel ut vitentur mala praesertim minora et minus certa* (D. Th.) Et ratio est, quia ut lex aliqua certa cesset, necesse est, ut cum alia aeque certa, et vel majoris, vel saltem aequalis momenti lege confligetur. Atqui haec collisio in praesenti casu nunquam possibilis est, ut scilicet ad vitandum consensum in peccatum necesse sit mortem sibi inferre: nam internus voluntatis dissensus nulla externa vi aut tentatione impediri potest. Tandem opponunt suicidas, quos historia sacra, ecclesiastica, et profana commendant. R. I. *indirecte.* Hoc est sophisma illud, quod logici *argumentum ad verecundiam* vel *ad ignorantiam* vocant. Uno verbo cum intrinseca suicidii malitia demonstrata sit, non tenemur extrinsecis auctoritatis argumentis respondere. R. II. *directe.* 1. Si s. scripturae et historiae ecclesiasticae facta, tamquam divinam auctoritatem exhibentia *ad hominem* nobis opponantur, dico quod Ecclesiae

tribunal, legitimum et infallibile d. revelationis interpres aperte docet, suicidium directum absque speciali Dei revelatione nunquam licere, sed ob fatuitatem, vel ob invincibilem errorem et ignorantiam tantum excusari posse. Cum hoc criterio illa facta explicanda sunt. 2. Quoad historiam vero profanam distinguenda est opinio valde diffusa a sensu communi naturae, quando scilicet omnes ubique natura duce sententiam quandam semper tenuere. Hic enim veritatem apprime confirmat : illa nihil probat. Atqui hac in re nonnisi opinio aliquatenus diffusa habetur. Quam praeterea ratio et falsam demonstrat, et originem ac causas hujusce erroris designare facile posset (Vide Agatopistum Cromatianum).

Pars vero *affirmativa* praecepti vitae curam respicientis, ab iis ipsis argumentis, quae suicidium directum prohibitum demonstrant, itidem deducitur, quo jubemur ejus curam habere et quoad vitae conservationem, et quoad valetudinis reparationem, mediis nempe communibus et ad id necessariis uti, ac certa vitae discrimina caute vitare. Ceterum hac in re peccari potest per *defectum* et per *excessum*. Cum enim vita nostra, licet magnum, non tamen solum neque summum bonum sit; hinc contingere potest, ut ea cum aliis vel minoris, vel aequalis, vel majoris momenti bonis collidatur. Itaque 1. Si *necessarium* non sit, suae vitae curam deserere ad alium bonum obtinendum : 2. si bonum, quod obtinere volumus, non sit *magni momenti*. 3. Si *solida spes* non adsit illud obtinendi, tunc qui vitae curam negligeret, is *ex defectu* seu incuria peccaret. Hisce autem tribus conditionibus positis, omittere suae vitae curam erit vel *licitum*, vel *de consilio*, vel *de praecepto* juxta gravitatem et naturam illius boni quod cum vita colliditur. Licitum erit, si bonum illud aequiparari quodammodo possit cum vita nostra; uti si quis ad alterius hominis vitam servandam suae vitae discrimen subeat. Sin autem de bono praestantiori agatur, ad quod neque ex justitiae neque ex charitatis praecepto obligemur; uti si quis privatus pro salute patriae mortem contemnat; iste

erit *de consilio* et heroicus virtutis actus. Denique si vita conflictetur cum aliquo bono et praecepto majoris momenti quod differri nequeat, tunc suae vitae curam relinquere omnimoda obligatio est: sicut miles in bello, christianus coram fidei persecutoribus, medicus et episcopus pestis tempore etc. tenentur certum quoque vitae discrimen subire ut officio fungantur suo.

III. De *status externi, idest de rerum suarum et boni nominis cura.* Cum externa bona et ad vitae conservationem, et ad animi cnltnram necessaria sint, cumque haec usui accommodata sine diligenti cura comparari et conservari nequeant; hinc patet, naturae legem, quae utrumque illud jubet, hanc quoque jubere. Peccari autem contra hoc praeceptum potest 1. *ex defectu sed* dupliciter, scilicet aut *negligentia* in iis comparandis, et servandis, aut *prodigalitate* inconsulte eadem largiendo: 2. *per excessum* vero peccatur *ob avaritiam* quae est immodica et vehemens pecuniae divitiarumque cupiditas. In fortunae bonis mediocritas cujusque statui accommodata optima est. Porro aliorum judicium de recta aliqua nostra actione aut virtute verbis expressum *laus* appellatur, quae si publica et stabilis in populo evadat, dicitur *fama*, si de maximis rebus gestis et virtutibus haec nominis commendatio fiat, erit *gloria*: e contra *vituperium*, *infamia* etc. Itaque vera laus, fama, gloria et honor est *signum* et *effectus* verae virtntis: est quoque multorum et magnorum bonorum *causa*, quia viri boni, sapientis etc. nomen aliorum sibi amorem reverentiam fidem conciliat: hinc maximum *motivum* est ad artes, scientias ac virtutes colendas. Quare *melius est bonum nomen quam divitiae multae:* et mirum esse non debet, si omnes tamquam naturae instinctu ducti laudem et honorem avidissime appetant. Studiosa autem boni nominis cura quoad eas virtutes, quae hominis arbitrio relinquuntur, de consilio tantum est; qnoad reliqua sive generalia sive peculiaria hominis officia legis naturalis praeceptio est, ne et ipsi dissolnti simus, et mala aliis exempla praebeamus. Cavendum igitur cum

ab *incuria et impudentia*, tum multo magis *a vana gloria*, *ambitione* ceterisque superbiae vitiis, scilicet ab *inordinato* et vehementi propriae excellentiae desiderio. Mediam ac tutissimam viam humilitas tenet, quae est mediocritas inter vilem animi demissionem et superbiam. Humilitas enim est ea animi dispositio seu habitudo, quae ad seipsum rationabiliter despiciendum inducit, orta ex persuasione de sui rerumque humanarum imbecillitate, et de Deo bonorum omnium fonte: quae quidem non deprimit animum, quin imo virtutum omnium et verae gloriae atque honoris fundamentum et radix est.

PARS TERTIA

DE OFFICIIS ADVERSUS ALIOS

Sectio I. de justitia generatim.

Generalis justitiae lex, quae jura cujusque integra servanda jubet, tria decreta complectitur. I. Neminem laede. II. Qui aliorum jura laedere attentaverit, in officio contineatur. III. Qui eadem ulla in parte laeserit, punitioni et compensationi subjiciatur.

1. *De nemine laedendo.* Singulis sunt a natura tributa jura ad animi, vitae, ac status externi curam respicentia: quamquam autem in physicis seu in facto maximae existant inter homines varietates; in moralibus tamen seu in jure est perfecta aequalitas. Ita vero naturae Auctor rem temperavit, ut nemo haec jura sarta tectaque habere possit, nisi in societate tanquilla. Iamvero haec *perfecta jurium aequalitas in hominibus in eodem plano et societatis statu constitutis est mensura ac fundamentum universae justitiae.* Hujusmodi enim juribus obligatio necessario respondet neminem laedendi, ac jus suum unicuique tribuendi. Secus enim essent et non es-

sent jura, vellet naturae Auctor haec salva, et nollet; quod absurdum est. Igitur quaecunque actio humana facta cum *intentione directa* contra quaslibet sive ingenitas sive acquisitas proprietates proprie dictam justitiam laedit. 1. Primum injustitiae genus est rei alienae invito rationabiliter domino directa damnificatio: quae variis modis fieri potest, scilicet vel impediendo earum usum, vel eas sive clam furando, sive aperte rapiendo, sive eas depravando et destruendo: 2. Contra bonam proximi famam duae sunt injustitiae species, altera est alienae famae virtutibus jure sibi partae ablatio, seu *detractio*: altera est falsi criminis et vitii appositio seu *calumnia*. Quamquam autem qui inhonestus et iniquus est, ei boni viri fama indebita sit: attamen si nulla necessitas aut magna utilitas cogat, aliena peccata et vitia occulta revelare contra charitatis legem foret, qua alienam miseriam tegere, et prava exempla ne emanent etiam atque etiam curare jubemur. 3. Personalia jura injuste laeduntur sive per *plagiatum* seu liberi hominis illegittimam mancipationem, sive per actus corporis incolumitati noxios ac praecipue per homicidium, quo supremum Dei in hominum vitam dominium, nec non jus privatum ac publicum violatur. 4. Denique injustitiae genus est illud, quo hominis animus pestifere depravatur, sive mentem falsis dogmatibus imbuendo, sive voluntatem ac mores turpiter depravando. Unde omnium aerumnarum coacervatio et infelicitas procedit.

Quid vero de interno animi odio adversus alios dicendum est? Distingui debet *odium inimicitiae ab odio abominationis*, illud est odium *personae*, quo quis ipsam hominis personam in se et directe aversatur, eique malum quatenus ei malum est, exoptat: hoc autem est odium *qualitatis*, quo scilicet non hominem, sed ejus malitiam, vel saltem personam quatenus malam et nobis noxiam aversamur: hoc per se honestum est, et ad ordinem amoris pertinet. Inimicitiae vero odium lege naturae omnino vetatur. Quae enim lex effectus noxios vetat, eamdem, necesse est, etiam eorum causam ve-

tare: *de corde autem exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia* etc. Praeterea lex naturalis non commentitiam aut *materialem*, sed veram ac *formalem* justitiam jubet, idest constantem et perpetuam voluntatem jus suum unicuique tribuendi, veram itidem ac formalem beneficentiam jubet, quae quidem inimicitiae odium necessario excludunt. Haec autem naturalis legis praeceptio adversus omnes etiam malos et inimicos extenditur. Omnia enim hominis ad hominem officia non ex mutabilibus ejus proprietatibus ac meritis; sed ex immutabili ejusdem natura, et ex naturalibus atque essentialibus relationibus eruuntur. *Hoc natura praescribit, ut homo homini, quicumque sit, ob eam ipsam causam quod is homo sit, consultum velit.* (Cic.)

Itaque cum certum sit, quodcumque laesionis genus cum intentione directa illatum nunquam licere, quaeritur utrum et qua de causa liceat aliquid agere vel omittere, quod aliorum juribus *indirecte* noceat? Respondeo: cum nonnisi laesio *indirecta* licere possit; hinc 1. necesse est, ut actio vel omissio uno actu duos saltem effectus producat, quorum alter solum sit intentione, alter vero, qui per se ac *physice* proximi jura laedit, sit praeter intentionem: 2. vera collisio intercedat oportet; ideoque actio illa vel omissio necessaria prorsus sit ad finem a nobis intentum obtinendum: 3. denique finis hic, quem intendimus, non solum per se, verum etiam relative ad actuales circumstantias honestus, et justus esse debet. Facilis est hujus criterii applicatio quoad damna statui externo illata: sed gravis exurgit difficultas, si de iis agatur, quae vel aliorum animo, vel vitae noceant: de utroque distincte agam.

Injuriae quoad animum ad intellectum aut ad voluntatem spectant. Intellectus laeditur *mendacio*, quo nomine intelligitur *locutio contra mentem loquentis*, seu generatim *quaecumque externa idearum signa, aut facta ad fallendum adhibita* scilicet ad ideas, judicia, et criteria falsa in aliorum mentem inducenda. Quare ad verum mendacium tria con-

currunt: ut falsum sit quod enunciatur: ut habeatur voluntas falsum enunciandi: denique adsit intentio fallendi. Iam vero nemini dubium, quin medacium proprie dictum ac directum intrinsece malum sit, utpote quod commercio sociali et bonae fidei omnino adversatur, quae nonnisi veracitatis lege ad amussim servata, consistere potest. Externa enim idearum signa juxta hominum conventionem adhibita sunt unicum medium in hoc terrarum orbe ad ideas et sensus internos aliis manifestandos. Ceterum examinandum est, utrum aliquando liceat indirectum mendacium, seu falsiloquium, aut potius veritatem occultare permittendo aliorum deceptionem. Si mendacium seu externa signa falsitatem in hominis mentem inducant circa religionem, ultimum hominis finem, et media necessaria ad eumdem, tunc ne indirecte quidem unquam licet ea ponere. Etiamsi enim prima et altera conditio habeatur, nunquam tamen haberi potest tertia: quia nullo in casu dari collisio potest cum bonis vel equalis vel majoris momenti. Sin autem agatur de falsis judiciis, quae inducantur circa res mere temporales, tunc positis superius descriptis conditionibus, certum est licere uti iis vocabulis et signis externis, quae veritatem celant, quamvis praevideatur, aliquem praeter nostram intentionem sine ullo, vel cum minori suo incommodo deceptum iri.

Contra voluntatem autem injuria homini infertur, inducendo vel adjuvando eum ad peccata, ejusque mores depravando. Certum est nunquam licere *cooperationem formalem* ad aliorum peccata, suam nempe voluntatem ad alterius malitiam conformando: nunquam enim licet peccare. Quaestio tantum est de *materiali cooperatione*, videlicet an licere unquam possit, actum per se *honestum* facere, quem *certo scimus* medium esse, quo aliquis abutitur ad peccandum? Iam vero materialis cooperatio vel est merum instrumentum, quo quis jam ad peccatum paratus utitur ad illud complendum: uti si servo dicat herus da mihi gladium ad victimam idolo immolandam: vel praeter instrumentum alieni peccati, est etiam causa, qua *justitia com-*

mutativa laedatur: utpote si quis dicat da mihi gladium ad inimicum confodiendum. Iamvero materialis cooperatio licere non potest nisi concurrentibus tribus conditionibus initio positis: ultima vero pro duplici cooperationis materialis genere modificationem patitur. Etenim in primo casu agitur tantum de lege charitatis, quae vel hortatur, vel etiam jubet impedire aliena peccata, aut saltem materialem peccati executionem. In altero autem agitur de materiali indirecta cooperatione tam ad peccatum, quam ad laesionem justitiae commutativae. Quare potiora motiva requiruntur in secundo, quam in primo. In hoc enim satis est grave incommodum, quod aliter vitari nequeat: in illo autem requiritur aut majus, aut saltem aequale aut fere aequale damnum: ut si quis mihi dicat: da mihi gladium ad inimicum interficiendum, secus te occidam, neque ullum mihi praesto sit effugium; tunc ob damni proportionem potero indirectam materialem cooperationem praebere ad alienum peccatum, etiamsi conjungatur cum tam gravi laesione justitiae commutativae.

II. *De jurium perfectorum ac primum de vitae defensione.* Certum est apud omnes jura *perfecta* (videlicet proprietates sive ingenitas sive legitime acquisitas) in necessitate etiam vi defendi posse: usum autem hujusce juris seu potestatis coactivae in civili statu Principi reservatum esse. Itaque quaeritur utrum liceat cuique suae vitae invasorem vi occisiva compescere, quando a publica potestate defendi nequeat? Adsunt tres DD. sententiae, alii hujusmodi defensionem *obligatoriam*, alii *illicitam*, alii *licitam* dicunt. Nos postremam cum sequenti limitatione defendimus. *Injusti vitae aggressoris vim vi repellere licet cum moderamine inculpatae tutelae.* Scilicet posita *injusta* aggressione, et *certo* atque *imminenti* vitae discrimine, dicimus, non posse vim adhiberi, nisi *quando et quatenus necessaria* ea sit ad vitae nostrae tutelam. I. Probatur thesis ex jure naturali. Argumentum I. Ille actus humanus licitus censendus, qui nullius jura laedit: atqui supradicta defensio neque supremum Dei in hominum vitam dominium, neque publicum societatis seu Principis, neque

privatum aggressoris sive perfectum sive imperfectum jus laedit: uno verbo nec justitiae nec charitatis legem violat; ergo licet. Haec enim vero omnia pessime laeduntur *homicidio directo*, nunquam autem occisiva defensione cum moderamine etc: quia et praeter intentionem accidit, et proportionata est, scilicet necessaria ad vitam servandam; et quia vitae nostrae tutela gravissimi momenti est. At enim contra charitatem esse ajunt *non solum temporali*, sed etiam spirituali et aeternae aggressoris vitae suam vitam temporalem praeferre. Respondeo distinguendo, si id fieret cum intentiòne directa ac sine moderamine, concedo: secus nego. Defensio suae vitae cum moderamine per se justa est: sin autem praeter nostram intentionem, sed ob *aggressoris malitiam* in vitae temporalis et aeternae discrimen *voluntarie* ruit; ipsi imputandum. Certum enim est *utenti jure suo aliorum malitiam obesse non posse nec debere:* Neque porro *certa spes* foret spiritualem aggressoris vitam juvandi, si ei crimen perficere sinamus. Tandem si mihi jus defensionis denegetur, eadem de causa et ceteris societatis membris, et Principi, qui singulorum jura reprehesentat, continet, ac tuetur, itidem denegandum est. Sublato autem coactivo jure ad coercenda crimina, atque internas externasque seditiones comprimendas, societas universa dissolveretur. Ergo desunt conditiones necessariae, ut lex charitatis suae vitae curam relinquere jubeat, scilicet *necessitas spiritualis, certa spes juvandi, sublato gravioris damni timore.* Argumentum II. Lex justitiae includit et sancit jus violentae defensionis cum moderamine. Lex enim justitiae, quae jura cujusque in societate sarta tectaque esse jubet, ac praesertim vitam, quae est omnium bonorum temporalium maximum, necessario vult medium proportionatum; atqui violenta defensio cum moderamine est unicum medium ad injustum aggressorem coercendum, suamque vitam tuendam: ergo etc. Id confirmatur *argumento ad hominem* ex jure gladii Principis proprio: et 1. quoad internam reipublicae gubernationem. Ius coactivum Principis in subditos non est absoluta et arbitraria vitae et mortis potestas, sed est potestas a

naturae Auctore ipsi collata in aedificationem tamquam justitiae tutori ac vindici, scilicet ad singulorum vitam aliaque jura defendenda, et ad criminosos efficaciter coercendos. Iam vero cum necesse est, Princeps occisiva vi jure comprimit iniquos aggressores, sicarios, latrones, ac reipublicae perturbatores. Ergo lex justitiae includit et sancit jus violentae defensionis cum moderamine. Cujus juris *exercitium* in civili republica Principi reservatum est, quo efficacius et rectius vice singulorum utatur. Cum autem in subita aggressione Princeps subditorum vitam tueri nequit; tunc in eis hujuscemodi privatae defensionis jus reviviscit. 2.° Confirmatur ex jure belli. Quaelibet perfecta societas cum suo supremo regimine est tamquam persona moralis, quae cum ceteris nationibus est in societate naturali constituta, sub eadem naturae lege, et cum iisdem juribus et obligationibus, quas singuli homines inter se habent. Atqui quaelibet respublica contra alterius reipublicae injustam aggressionem jure se armis tuetur: ergo in pari casu etiam singuli homines jure se armis tueri possunt. Uno verbo jus vim vi repellendi cum moderamine etc. in ipsa naturae lege includitur, quae et societatem inter homines esse statuit, et sua cuique sarta tectaque jura esse efficaciter vult, et crimina efficaciter comprimi. Quapropter non solum ratio doctis, sed ipse communis naturae sensus omnibus hominibus, et naturalis instinctus belluis ipsis *praescripsit, ut omnem semper vim, quacumque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent.* Opp. Si defensio hujusmodi est medium necessarium ad societatem justitiamque servandam, non solum *licita*, sed *obligatoria* censenda est. R. Distinguo *jus* defensionis necessarium ac praeceptum est, concedo: hujusce juris *usus*, subdistinguo: per accidens concedo: per se, nego. Ex. gr, miles in statione excubans aggressorum vim populsare tenetur.

II. Probatur thesis ex *jure positivo*. Cap. *significasti* 18. *De homicidio* legitur. « Vim vi repellere omnes leges et omnia » jura permittunt ... Tamen id fieri debet cum moderamine » inculpatae tutelae, non ad sumendam vindictam, sed ad in-

» juriam propulsandam. » Canonicis concordant civiles leges, nec non et lex positiva divina, ut adversarii quoque fatentur. Si utraque auctoritas divina et humana expresse asserit, defensionem, de qua loquimur, cuique permissam esse: ergo licet; vel quia jus defensionis hujusce a natura ipsa singulis tribuitur; vel quia a suprema Potestate conceditur. Non solum enim Deus, sed et Princeps civitatis (cui certe competit jus injustos aggressores vi et armis comprimendi) potest sui juris exercitium cui vult. communicare, sive suis militibus, sive singulis indiscriminatim permittere jus semetipsos defendendi. Opp. At enim haec positivarum legum verba intelligi possunt de mera *tolerantia*, qua ii qui vim vi repellunt declarantur immunes in foro externo a crimine et a poenis contra homicidium directum sancitis. Resp. Haec interpretatio 1. opponitur I. C. c. 3 *de homicidio,* ubi qui ita se defendit, immunis a peccato coram Deo expresse asseritur. 2. Cum in allato textu dicatur, *omnes* leges et *omnia* jura permittere, includitur etiam lex naturae, quae non forum externum, sed intrinsecam actuum humanorum honestatem aut malitiam respicit. 3. Denique leges *tolerantiae* locum habent in actibus intrinsece malis, qui supremae auctoritatis concessione cohonestari nequeant. Secus supremae potestatis venia et permissio vel est expressa juris confirmatio, vel est ejusdem auctoramentum, et communicatio.

Quaeritur quid censendum sit de defensione ceterorum jurium. *Status quaestionis.* Qui licitam habent violentam vitae defensionem, ii omnes passim concedunt, pudicitiam, aliaque personalia gravissimi momenti jura vi defendi posse: utpote quae et communi hominum sensu, et a positivis legibus vitae comparentur. Perpauci autem idem de defensione bonorum fortunae affirmari posse negant. Ceterum si hujusmodi bona sint *gravissimi momenti*, quae *actu possidentur*, quaeque iniquus invasor *vi* abripere vel perdere nititur, ita ut nonnisi violenta defensione damnum hoc vitari queat, communis DD. sententia est, eaque *probabilissima* cum s. Alfonso De

Ligorio censenda est, violentam hanc defensionem licere. Qui enim vitam vi tueri posse ajunt, cur externa haec bona itidem cum moderamine vi defendi posse negant? Quia inter vitam invasoris et bona fortunae nulla adest proportio: ideoque justa non est occisiva defensio. Respondeo justitiam aestimandam non esse ex aequalitate materialis damni ab aggressore intentati cum damno ipsi aggressori inferendo. Ille actus est justus, qui est proportionatus juri privato hominis se suave tuentis, nec repugnans, imo conformis publico societatis bono. Atqui violenta defensio cum moderamine de rebus gravissimi momenti est proportionata tam privato quam publico societatis bono. Aptari hic apprime posse videntur ea omnia, quae ex jure naturali ac positivo supra retulimus argumenta, quae non sunt limitata ad solius vitae defensionem. Praecipue autem duo notanda sunt quoad jus positivum. 1. in allato juris canonici textu redarguitur occisio *furis*, non quia jus violentae defensionis ad res tuendas desit, quod ibi expresse asseritur illis verbis *cum vim vi repellere* etc.; sed quia fur occisus sit sine moderamine *ad sumendam vindictam, non ad injuriam propulsandam.* 2. Lex divina a Moyse lata, *si effringens* ec, et humana cum Solonis, tum XII. T. T. statuunt rerum nostrarum vastatorem et raptorem aliquando privata defensione jure interfici posse: ergo saltem in nostro casu licebit, quando nempe ad gravissimum rerum nostrarum damnum impediendum praeter intentionem atque ex necessitate interficitur. Ceterum leges istae supponunt et ratam habent defensionem cum moderamine contra rerum vastatorem. Statuunt autem regulam pro judicibus ad discernendam in foro externo occisionem furis factam ad sumendam vindictam ab ea, quae facta sit ad injuriam propulsandam.

Non hic immorabor in refutanda eorum sententia, qui licentiam concedunt occidendi invasorem sive famae, siva rerum nostrarum, sive jus nostrum certum ac perfectum, sive incertum et inchoatum, sive gravis, sive levis momenti, sive injuriam inferre is conetur, sive jam intulerit, sive armis

sive fraudibus, et calumniis utatur. Quae omnia et bono hominum sensui repugnant: et ab Ecclesiae tribunali damnata sunt: et omnino contraria tam juri positivo superius commemorato, quam juri naturali, quia vel omnes desunt vel aliqua saltem ex iis conditionibus deest, quae tantum inculpatam reddere possunt voluntariam licet indirectam hominis occisionem. Aliqua difficultas oriri posset ex calumniis et fraudibus, quae gravissima et irreparabilia damna aliquando afferunt, ad quae removenda calumniatoris occisio necessaria videatur. Attamen nunquam licere id potest; vel quia 1. incertum ac remotum damnum 2. vel si certum atque imminens ob calumniam jam illatam, tamen cruenta defensio proportionata non esset ad veritatem demonstrandam, et nostram causam pejorem faceret: 3. denique publico reipublicae bono repugnaret: quia judiciaria et coactiva ejus potestas labefactaretur.

Quaeritur autem, an *duellum*, idest *pugna singularis ex utraque parte sponte suscepta ex condicto*, sit unquam recta jurium defensio? Quamquam duellum ex causa publica, et suprema potestate annuente susceptum aliquando liceat; tamen *privatum* certamen legi naturali omnino adversatur. 1. Quia *officiis hominis* directe opponitur. Nam uterque ex duellantibus *temere* (idest sine gravi et proportionata causa, et sine necessitate) et suae vitae discrimen subit, et alterius vitam perdere nititur. 2. *Essentialibus civis officiis* repugnat. Etenim dum de opinatis, vel revera intentatis et illatis injuriis duellantes quasi suo jure judices se, defensores, ac vindices faciunt, ipsi essentialia supremi regiminis jura directe laedunt, quae in suprema et exclusiva legislativa, judiciaria, et coactiva potestate consistunt. 3. Legibus quoque positivis privata certamina expresse vetantur. Ita in veteri et in novo jure romano *sub poena capitis*, quod in comitiis imperialibus confirmatum est: item in Gallia et in caeteris politioribus civitatibus sancitum. Quare H. Coccejus barbaricum duellorum morem generali gentium execratione exprobrari recte con-

cludit. Ecclesia denique per summos Pontifices et concilia ac praesertim tridentinum id detestata est, additis poenis de bonorum spoliatione, perpetua infamia, atque excommunicatione in omnes etiam fautores lata ipso facto incurrenda. Opponunt I. duellum esse aliquando medium neccessarium ad rem gravissimi momenti e. g. famam strenui militis defendendam II. Id confirmant *a pari*, nempe ex jure bellandi, et duellum ineundi, quod habent respublicae ac Principes inter se, qui eadem naturalia jura et obligationes habent sicut singuli homines. III. In statu autem civitatis male ordinatae faciliorem dari posse ajunt occasionem legitimi duelli. R. ad I. Vir militaris timiditatis notam subiret, nisi duellum iniret, distinguo duellum ex causa publica, concedo; privatum, subdistinguo in falsa improborum quorumdam opinione, transeat: in vera proborum et sapientium sententia, nego. Fama strenui militis est fama de *fortitudine* militiae applicata. Iamvero fortitudo est mediocritas inter metum et audaciam. Qui privatum duellum subit, is timiditatis notam certe vitat; at probari debet, eum audaciae quoque nomen vitare. Verum ex Aristotele, Platone, Cicerone ec. contrarium demonstratur, qui *fortitudinem virtutem* esse ajunt *propugnantem pro aequitate, et communi bono; animum autem paratum ad periculum, si sua cupiditate et suis commodis, non utilitate communi impellitur, in vitio esse, et audaciae nomen habere.* Multo magis ergo in vitio erit, si praeter suum discrimen paratus etiam sit ad alienam internecionem. Ergo in duello privato deest causa gravis, neque est medium proportionatum ad strenui militis famam tuendam. Quod exemplo veterum Graecorum et Romanorum, qui privata certamina semper improbarunt, confirmari apprime posset. Hinc respondeo ad II assignando disparitatem inter bellum et duellum; inter duellum publicum et privatum. Legitimum bellum est concertatio, et omnibus moderaminis conditionibus, et prudentiae regulis ad amussim servatis, ut certior jurium tutela habeatur. Duellum autem ex causa publica aliquando est medium ad gra-

viora bellorum damna in republica vitanda. In duello autem privato ad vitanda mala vel imaginaria vel levissima stulte et inique propria et aliena vita contemnitur. Denique ad III dico: vel perturbatio civilis ordinis est generalis et anarchica, vel non: in 1. casu penes unumquemque est, non quidem stulta et iniqua duelli concertatio, sed potestas coactiva cum moderamine adhibenda: sin autem 2. loco vel malitia, vel ignorantia cujusdam magistratus justitia denegetur; tunc duellum duplici de causa iniquum foret; tum quia in se illegitimum; tum quia publicum judiciorum et gubernationis jus ac robur directe laedit.

III. *De injuriarum punitione et compensatione.* In injuriis inferendis duplex est malum, aliud *subjectivum* in laedentis animo, aliud *objectivum* in juribus patientis. Illi medetur paena, huic compensatio. *Poena* proprie est malum passionis, scilicet ingrata animi affectio, sive ob boni privationem, sive ob mali accessionem: in sensu autem morali et legali *poena est malum passionis quod infligitur ob malum actionis.* Quare confundi non debet: 1. cum privationibus et incommodis etiam lege illatis, non in criminis ultionem, sed in bonum commune, utpote arceri a civili commercio ob morbum contagiosum, vel a fungendis publicis muneribus ob naturalem defectum etc. 2. neque poena confundi debet cum injuriarum compensatione, de qua mox dicam. Iamvero est in communi naturae sensu jus illud *rhadamanteum* appellatum, ut *qui male fecit male ferat:* nullaque extat lex sine aequa poenarum sanctione. Ceterum ulciscendi libido ex inimicitiae odio concepta, qua inimici dolor tamquam sui doloris remedium habetur, distinguenda est a recto ulciscendi ordine. Paena seu ultio, ut recta sit, habere debet 1. *bonum principium* scilicet ex abominationis odio, et justitiae amore procedat, oportet: 2. *bonum finem* videlicet » aut ut eum » quem punit emendet, aut ut poena ejus ceteros meliores » reddat; aut ut sublatis malis ceteri securiores vivant ». 3. *media* ad eumdem finem *proportionata*; ne aut leviora reme-

dia inefficacia sint ad morbum curandum, aut nimia severitate leviora delicta plectantur. Coroll. I. Ad ultionem hanc exercendam necessaria per se non esset jurisdictio in subditos: tum quia cuique licet emendationem delinquentis, aliorumque praeservationem, ac sui suorumque defensionem curare: tum quia *legitima ea bella sunt, quae ulciscuntur injurias*, quamquam unaquaeque gens in alias gentes jurisdictione minime praestet. Coroll. II. Quare in statu naturali, si res per se consideretur, cuique liceret injurias ulcisci; in facto autem fere impossibile esset ea omnia servare, quae ad aequam punitionem necessaria sunt: atque si haec servarentur, inefficax plerumque poena foret. Hinc factum est, ut in civili statu universa criminum animadversio principi potestati reservata sit. » Idcirco judiciorum vigor, jurisque pu» blici tutela in medio constituta, ne quisquam sibi ipsi per» mittere valeat ultionem ». (L. Nulli c. de Iud.)

Ad plenam illatarum injuriarum satisfactionem praeter punitionem necessaria est *compensatio*, quae definitur *actus justitiae, quo reparatur damnum alteri inique illatum*. Quare compensationis legi non subjacent. 1. damna *mere fortuita*, aut licet praevisa, tamen *indirecte* ex *necessitate* ac *proportionali causa* producta: 2. damna quae ex charitatis lege quis impedire tenebatur, vel in quibus etiam contra justitiam peccaverit, attamen vel *actu mere interno*, vel exterius manifestato, sed ad effectum illum *inefficaci*. Itaque generalis compensationis regula haec est. *Sola causa moralis et efficax damni injuste et ex intentione illati lege compensationis tenetur*. Ceterum qui *physice* tantum damnum intulit; *si ex alienis bonis* se ditiorem factum esse animadvertit; tunc compensare deberet: non autem si *occasione alieni infortunii* ipse ditescat. Varia autem potest esse natura *causae* moralis, *effectuum*, et *circumstantiarum*. Causa moralis potest esse *positiva*, si actu suo damnum intulit, vel *negativa*, si cum *ex justitia* teneretur, et posset efficaciter alienum damnum impedire, illud tamen sua culpa evenire permisit. Porro causa moralis cujusdam damni potest

esse vel unus, vel plures simul cooperatores: iique vel primarii, vel secundarii diversi gradus; qui memoriae causa hisce versiculis continentur

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Qui juxta imputationis gradum, omnes tamen *in solidum* ad compensationem tenentur. Si quis tamen minus damnum, quam quod actione communi revera illatum sit, intenderit; et de graviori hoc damno conscius factus cessaverit, et obsistere curaverit, is nonnisi partem damni a se intentam compensare deberet. Quadruplex autem est damnorum genus, scilicet vel ad fortunae bona, vel ad famam, vel ad vitam, vel ad animum spectans. Damna autem tam *in se quam in effectibus* inde sequutis considerari debent. Hujusmodi vero possunt esse damna, quae aut compensari possunt per *identicam* restitutionem, aut per *aequivalentem*, aut *nullam* habent aequivalentem et ejusdem ordinis compensationem. Quare I. Damna injuste illata compensari debent *in totum*, idest tum in se, tum in effectibus secutis, quos noverit, vel nosse debuerit vi actus sui secuturos. II. Compensari debent, si fieri possit, *identice* secus in *aequivalenti.* III. Si neque identice, neque aequivalenter compensari possint, nemo ex rigore justitiae tenetur bona alterius ordinis praebere, ex. gr. pro brachio vulnerato pecuniam, nisi forte valeat tamquam medium ad brachium, sanandum ec. vel ad compensanda damna inde sequuta. Rationes autem quae a restitutione et compensatione solvunt, vel eam differunt, sunt vel debitoris *impotentia* restituendi, vel *libera* creditoris *voluntas* sive expresse sive implicite juri suo cedentis.

SECTIO SECUNDA

DE JUSTITIAE OFFICIIS AC JURIBUS HYPOTHETICIS

I. *De Dominio. Dominium proprietatis singularis est jus perfectum per actus legitimos acquisitum excludendi ceteros quibusdam rebus, iisque utendi arbitrio proprio.* In dominio tria jura, scilicet *possidendi, disponendi, vindicandi* necessario continentur. Tertium autem per civile regimen exercetur; secundum a civili potestate saepe circumscribitur. *Legitima* vero *possessio est actualis rerum occupatio, et frugum perceptio, vel usus rei suae, quem dominus exercet, vel exercere sive per se sive per alios, nullo obstaculo intercedente, potest.* Intercedente autem obstaculo sive a causis physicis, uti est agri inundatio, sive a moralibus, uti iniqua usurpatio, amittit dominus possessionem, remanet ei jus possidendi. Ceterum mera physica possessio quatuor praecipua privilegia habet. I. Non tenetur bonae fidei possessor possessionis legitimitatem contradicenti probare; et in dubiis melior est conditio possidentis: II. Potest ipse vim vi repellere cum moderamine ec. III. Sin autem possessione privetur, et occupator jus suum tueri velit, restitutio spoliati, antequam audiatur, fieri debet. Ratio enim facti praesumptionem parit juris. IV. *Praescriptionis* privilegium de quo mox dicam. Hisce praemissis contra hobbesianum jus omnium in omnia, et contra J. B. Rousseau sententiam dominia singularis proprietatis negantis dico, quod jus acquirendi et conservandi dominium proprietatis singularis natura sua homini competit. I. Probatur *ex facto philosophico,* quo constat omnes semper jus proprietatis singularis agnovisse: atque inde contractus et commercia inter silvestres quoque populos semper usuvenisse. II. Probatur ex ratione *directe:* quia rationi consentaneum est, ut quisque jus habeat in ea quae sunt *media* necessaria et perop-

portuna ad vitae suae conservationem et prosperitatem, atque ad animi culturam; nec non in ea, quae sunt *effectus* industriae suae. III. Ratio *indirecte* id confirmat. Absurdum enim est dominium universale in omnia telluris bona singulis aeque proprium, quod uniuscujusque indigentiam in immensum excederet, ceterorumque jus destrueret, omniaque perderet. Absurdum itidem est nullum proprietatis jus homini tribuere: homo enim haberet et non haberet jus ad vivendum, et ad ea, quae suae conservationi sunt necessaria. Media igitur sententia vera est. Haec de dominii *jure*, nunc de *utilitate*. Sunt qui melius reipublicae fore putant, vel aequalem rerum omnium partem singulis in dominio concedere, vel positivam bonorum communionem in republica ponere: verumtamen optimum consilium cum ad singulorum civium, tum ad commune bonum esse dico, si libera cuique facultas relinquatur acquirendi, conservandi ac dilatandi dominia singularis proprietatis. I. Quia perpetua et generali experientia constat, universum humanum genus utilius duxisse variam rerum in societate divisionem ac proprietatem: civitatum autem copiam, opes, artium scientiarumque progressum, morum honestatem ac rerumpublicarum prosperitatem esse in *ratione directa* firmitatis, libertatis, ac tutelae dominiorum singularis proprietatis. Sapientissimi autem Principes hoc etiam atque etiam curarunt, ut industriae, commercii, atque hujusmodi dominia acquirendi, conservandi augendi studium in subditis excitarent, eaque sub sua tutela ponerent. II. Illa bonorum aequatio et communio in civitate physice et moraliter impossibilis esset. Etenim 1. ut partitio haec aut communio fieri et stabilis permanere posset, necessaria esset in singulis civibus corporis animique virium aequalitas, nec non ingenii, industriae etc. 2. in aliquo errantium hominum manipulo locum id aliquantulum habere posset; non autem in populis rerum dominia possidentibus. Quod si forte contingere posset, attamen non expediret. *Ex quibus enim unum fieri oportet specie differunt* (Arist.); idque et in rerum na-

tura, et in artibus usque videre est. Diversi namque civium gradus officia etc. reipublicae unitatem, pulchritudinem, ordinem, soliditatemque constituunt. In aequatione aut communione bonorum inertia, perturbatio, discordiae fierent.

Legitimi autem *dominia acquirendi modi* sunt vel *originarii*, vel *derivativi*. Originarii (ii nempe quibus acquiritur dominium earum rerum quae nullius sunt) ad duo reduci recte possunt, primus est *occupatio videlicet apprehensio possessionis rerum dominio vacuarum nemini nocens atque animo eas sibi proprias retinendi.* Alter est *accessio*, seu modus originarius acquirendi dominium in ea incrementa, quae sive naturaliter, sive casu, sive industria, rei nostrae fiunt. Quae enim ab extrinseco sive casu, sive natura accedunt, ea uti accessorium ad principale pertinent; quae autem ex domini industria , vel ex ejus proprietatibus naturaliter producuntur, ad eumdem tamquam effectus ad causam referuntur. Porro *modi derivativi* ii sunt, quibus res et jura, quae sunt vel unius communitatis, vel unius personae, transeunt in alterius personae dominium. Jamvero a particulari et positiva communione derivatur dominium singularis proprietatis vel per liberam totius rei *cessionem* cuidam ab universa societate factam; vel per *divisionem*, idest suam cuique societatis membro ratam portionem separando ac tribuendo. Dominium autem unius in alterius singularem proprietatem transit per *traditionem*, quae est rei suae alienatio, et cessio alteri a domino facta. Notandum est, *usucapionem* ac *praescriptionem* (quae definitur acquisitio seu adjectio dominii rei alienae per possessionem ejus certo temporis spatio legibus definito bona fide continuatam) ad modos derivativos pertinere. Princeps enim, cui civium voluntates subjectae et conformes esse debent , pro reipublicae bono, ne fere semper incerta dominia sint etc. dominii jus in bonae fidei possessorem transfert.

II. *De contractibus. Contractus vel pactum est duorum pluriumve in idem placitum consensus.* Ad hujusmodi consensum necessaria est promissio unius et acceptatio alterius :

quae si utrinque fiat, contractus dicitur *bilateralis*, vel *onerosus* et *permutatorius*; secus erit *unilateralis*, seu *gratuitus* et *lucrativus*. Quilibet autem contractus vel absolutus esse potest, vel conditionatus, quando nempe apponuntur conditiones extrinsecae a contractus natura. Ad contractus aequitatem et valorem tria examinanda sunt, *objectum*, *subjectum*, ac *modum*. 1. Quoad objectum seu materiam necessaria est possibilitas physica et moralis : nemo enim tenetur ad impossibile vel illicitum, sive naturae lege vetetur, sive positiva lege jus disponendi auferatur. 2. quoad subjectum seu contrahentes duo necessaria sunt, tum perfectus rationis usus; qui enim non sentit non consentit; tum plena libertas, non solum a necessitate, verum etiam a coactione. Non autem quaecumque coactio seu vis et timor contractus valorem tollit, sed vis et metus *gravis*, *externus*, *injustus*, et *directus* ad extorquendum consensum vel omnes contractus ipso jure nullos facit, ut verius videtur, vel saltem tales efficit, qui a judice dissolvi possint. Tum quia leges positivae id expresse declarant, et in omnibus tribunalibus servatur: tum quia hujusmodi vis ac metus contractus essentiam vitiat; *cum locum non habeat consensus, ubi vis et coactio intercedit* : tum quia absurdum est, vim injustam jus ac beneficium producere iniquo invasori, atque obligationem et onus imponere injuriam patienti. 3. Denique quoad modum requiritur veracitas in contrahentibus; ad consensum enim necessaria est hinc inde identica rei cognitio, quae haberi nequit, nisi externa idearum signa eodem prorsus sensu proferantur et accipiantur. Error igitur sive ex ignorantia sive ex malitia circa rei substantiam nullum facit contractum; quod si error circa qualitates secundarias versetur, non irritat contractum, nisi qualitates veluti conditio apponantur, ac transeant in substantiam contractus. Ceterum quibuslibet signis, verbis, nutibus, scriptura, per se et per internuntium, tacite et facto quodam iniri contractus potest, dummodo ea consensum aperte exprimant. Contractuum effectus est obligatio ex justitia pro-

missum faciendi. Si enim jus quoddam transferri possit, atque homo prudens, sciens ac sponte intendat ac significet, se illud transferre sub hac conditione, ut alter acceptet: posita conditione, necesse est, juris translatio fiat: ideoque ei tribuendum. *Quid enim tam proprium fidei humanae quam ea quae inter nos placuerunt servare ?* Qua sublata, justitia ac societas dissolveretur. Contractus in origine validus dissolvi potest 1. *per se* ob substantialem materiae mutationem 2. Ob *unius perfidiam* innocens recedere potest. 3. *Per acceptilationem* seu crediti cessionem, ac per *mutuum dissensum*. 4. Per *irritationem a supremis Principibus factam*: subditi enim sunt veluti pupilli sub eorum tutela constituti.

De *contractibus autem unilateralibus* speciatim animadverto, quod triplici modo beneficia fieri possunt 1. rem suam in alterius *proprietatem* transferendo: 2. vel ejus *usum* concedendo: 3. vel operam quamdam exhibendo: hinc 1. *Donatio quae est libera et gratuita rei vel juris nostri alienabilis in alium translatio.* 2. Cum res nostra utenda gratis conceditur pro rei natura, vel concessionis modo diversi contractus nominantur, scilicet *commodatum*, quod est rei *cujusdam ad aliquem specialem usum gratuita facta concessio* : si neque usus neque tempus determinetur, erit *precarium, quod nempe precibus petenti utendum gratis conceditur, quamdiu is qui concessit patitur :* sin autem res usu consumitur, aut alienatur, habetur *mutuum*, seu *contractus gratuitus, quo rei alicujus fungibilis dominium a mutuante in mutuatarium transfertur cum obligatione restituendi eamdem vel similem specie et bonitate* 3. Quoad operas habetur in primis *depositum* seu *contractus gratuitus quo aliquid traditur custodiendum , ut integrum domino repetenti reddatur* : tum *mandatum, quo certum alterius negotium, eo postulante et modum, tempus etc. rei gerendae praescribente gratis expediendum suscipitur* : denique *negotiorum gestio, cum alterius negotia absentis vel ignorantis, ne damnum patiatur, aut lucri occasionem amittat gratuito gerenda suscipiuntur.* Inter gratuitos contractus *testamentum* recenseri po-

test idest *solemnis declaratio voluntatis nostrae de universa haereditate, omnique jure, quod mortis tempore habituri sumus, post mortem demum nostram in alium transferendo, ad libitum tamen nostrum ante mortem revocabilis.* Quaestio est inter DD. utrum jus testandi a natura, an a positiva Principum concessione repetendum sit: qui negant a natura, ii ajunt neque *veram promissionem*, neque consentientem *acceptationem* tempore habili unquam haberi; aut dicunt testamentum ultra facultatem domini esse, quia dominium ex indigentia ortum, cum morte extinguitur. Sed contra alii 1. veram in testamento esse promissionem etsi conditionatam 2. veram item haeredis acceptationem, tam praesumptam vivente testatore, quam positivam eo mortuo, quando ejusdem voluntas mutari nequit. Ad 3. dicunt, dominum plenam de rebus suis habere disponendi facultatem. Quoad praxim vero dico, in utraque sententia testamentum nullum in foro externo nullum quoque esse in foro interno. Quia vel jus ipsum testandi, vel juris hujus exercitium ac limitatio a Principum potestate pendet. Sin autem testamentum in foro externo nullum in foro conscientiae obligaret; hoc absurdum sequeretur, quod Principes et tribunalia civilia apertam injustitiam tuerentur, et Ecclesiae canones eam confirmarent.

Contractus bilaterales, in quibus reciproca utrinque promissio et acceptatio fit, hac generali formula continentur; *do ut des : do ut facias: facio ut des: facio ut facias.* In dandis autem rebus aut juribus vel dominium transfertur, ut in contractu *permutatorio*, in *emptione et venditione*, vel rerum usus conceditur, uti in *locatione*, *conductione* aliisque. Sunt autem quidam contractus exitus incerti, in quibus spes lucri et damni timor reciprocatur; uti sunt *societas negotiationis, assecuratio mercenaria, census vitalitius, ludi, sponsiones.* In quovis autem bilaterali contractu vel fit *permutatio simplex*, cum neutra res et opera aestimatur, neque inter datum et acceptum aequalitas exigitur, vel aequalitas haec servatur, et tunc permutatio *aestimatoria* appellatur. Aequalitas

autem hujusmodi neque pondere, nec numero, nec mensura, sed *valore* seu *pretio* aestimanda est. Iamvero *valor seu pretium rei vel operae cujusvis est potentia satisfaciendi indigentiis:* hinc rerum pretium est in *ratione composita*, *directa* quantitatis et qualitatis indigentiae; atque efficacitatis, bonitatis, et durationis rerum etc. quae indigentiis satisfaciant: *inversa* autem quantitatis rerum et operarum quae in commercio sunt. Perdifficile quidem est, ne dicam impossibile, rationi individuali singularum rerum ec. pretium recte determinare; perfacile autem *rationi universali*: in populis enim excultis et omnigeno commercio utentibus vox publica cum quadam latitudine pretii summi, medii et infimi rerum omnium et operarum valorem certum perspectum facit; atque ad communem mensuram, idest ad *monetam* refert. *Moneta enim seu numisma* est quaedam metalli particula certo pondere, qualitate, nomine, et publico charactere insculpta, ut sit veluti instrumentum ad mensurandum valorem rerum et operarum omnium, quae in commercio sunt. Quare facile est in contractibus permutationis aestimatoriae cognoscere aequitatem inter datum et acceptum. In contractibus autem incerti exitus tam in spe lucri, quam in damni metu aequitas utrinque servanda est. Aequitas autem posita est in proportione geometrica, ut scilicet sit lucrum vel damnum unius partis ad bona quae contulit in commune, ut lucrum vel damnum alterius ad bona quae praestitit. Quaeritur an de rebus usu *fungibilibus* iniri possit contractus bilateralis: scilicet generatim, liceat nec ne certam pecuniae summam alteri, non pauperi, certo tempore utendam tradere, ut singulis annis quoddam lucrum juxta commercii, et legis taxationem percipiatur? Qui affirmativam tuentur sententiam, 1. intrinsecam contractus hujus aequitatem defendunt tum ex publica populi voce, qui de rerum in commercio positarum valore judex competens est: tum ex ratione privationis rei utilis, ut alteri utilitas concedatur, *omnis autem commodi pretium potest numismate mensurari* (D. Th.). 2. Praeterea si aequalitas

per se non adesset, tamen sufficeret voluntas contrahentis sponte lucrum promittentis; nec non voluntas Principum, qni ob eminens dominium, si id reipublicae prodesse censeant, possunt lucrum ultra sortem concedere et ratum habere; quod ubique factum esse novimus. Praecipua oppositae sententiae rationes ad duo capita praesertim reducuntur, 1. ad dominii amissionem; 2. ad pecuniae sterilitatem. Quoad 1 autem responderi potest, distinguendo : qui pecuniam alteri utendam tradit, is dominium in ea numismata, quae tradit, amittit : non amittit dominium in aequivalentem pecnniae summam : seu fit *translatio* dominii in universam massam bonornm pecuniam recipientis. Quoad sterilitatem vero, item distinguunt, pecuniam sterilem esse, sensn proprio, non autem metaphorico, quo significatur pecuniae usum commodnm ntilitatemque afferre. De praxi vero dico, contractum hujusmodi, servatis superius positis conditionibns, iniri licite posse. 1. Quia legis eum vetantis existentia non demonstratur : imo oppositum tam ex gravissimorum scriptorum sententia, quam ex intrinsecis argumentis saltem est valde probabile. Ergo possidet libertas. 2. Ecclesiae tribunalia in dubiis practicis circa hujnsmodi contractum respondere consueverunt, eos, qui eum ineunt, *non esse inquietandos*.

Tandem de *societate domestica*, quae ex herili et conjugali societate constat, nonnulla singillatim dicenda sunt. In herili distinguendi sunt servi *ultronei*, et *mercenarii*, qni famulatum hero promittunt pro mercede quadam, et servi *obnoxii* seu *mancipia*. De mercenariae servitutis honestate et utilitate nemo dubitat. Quid vero de obnoxia censendum, qna homo ita alterius dominio subest, nt tamquam res habeatur sublatis hypotheticis et civilibus juribus? Est ne legi naturae contraria? Mitto eorum abusns, qui per *plagiatum* hominibus potiti iniquam de iis mercaturam faciunt : vel qui tamqnam in belluas in eorum quoque vitam saevire audent. At servatis primariis et absolutis hominis juribus, tres possunt esse legitimae mancipationis causae 1, *jus bellicum*, seu

jus defensionis publicae et *represaliae* 2. *nativitas servilis* indirecte tamen cum ob alimentorum et eorum, quae ad matris filiorumque vitam necessaria sunt, praebitionem, tum ob tacitam vel expressam conditionem, sub qua jus nuptiarum dominus servis concedat. 3. *Ultronea sui mancipatio*, qua quis sponte sese in mancipium vendit, ut ea quae ad vitam necessaria sunt sibi perpetuo ab haero suppeditentur. Ceterum Moyses praeter ea, quae juste et humaniter in mancipia jussit, statuit quoque pro anno sabbatico et jubilaeo emancipationis legem. Christiana vero religio ubique abusus in mancipia extirpare, eorum conditionem relevare, atque etiam in libertatem reducere usque curavit. Huc accedunt nostra praesertim aetate civilium etiam regiminum et populorum studia, et liberalissimae pecuniarum largitiones in servorum emancipationem profusae.

Quoad *societatem conjugalem* praenotandum censeo, contra effraenem licentiam, et falsas ethnicorum, haereticorum, et incredulorum sententias D. Revelationem praeclarissima praecepta dedisse, quibus aut perpetuam castitatem servandam, aut matrimonii leges sanctissime custodiendas jubet. Quae quidem rectae rationis principiis apprime cohaerent. Et re sane vera procreandi appetitum intra legitimi matrimonii limites lex naturae circumscribit quibuscumque aliis libidinis actibus et commerciis prorsus rejectis. Etenim *matrimonium* (idest contractus certis legibus sobolis procreationi et educationi aptis, mutuamque amicitiam ac subsidium inducentibus inter marem et foeminam initus) apprime satisfacit naturae legi, quae societatis conservationem prosperitatemque jubet. Ceteri autem libidinis actus et commercia aut sobolis procreationi directe opponuntur, aut eam maxima ex parte frustrantur, et educationem ac mutua subsidia tollunt. Notandum vero, *polygamiam simultaneam* naturae legi non esse contrariam: quia vir unus pluribus uxoribus officia conjugalia praestare, et filiorum curam habere potest: itaque exceptis christianis, ea apud omnes populos viguit. Ceterum mulierum

juribus aliquantulnm detrahi videtur, et rara admodnm est domestica concordia. Qnare in novo foedere matrimonium ad primaevam integritatem et unitatem a Christo Domino revocatum est. Leges autem ad contractus matrimonialis *valorem* aliae sunt naturales, aliae positivae, quae vel natnrale praeceptnm determinant, vel novum impedimentum dirimens apponunt. Hae respiciunt 1. *materiae possibilitatem* physicam et moralem. Materia est ipsa contrahentium persona: irritat ergo matrimonium quoad animum impotentia consentiendi, idest, carentia rationis, quoad corpns impotentia *antecedens* et *perpetua* procreandi sive *absoluta* sive *relativa*. Qui vero mente et corpore matrimonii est capax, is potest moraliter esse inhabilis: utpote qui vel solemni castitatis voto, ac coelibatus legi prndens et sponte se subjecerit, vel mulier qnae virum, cui jam nupserit, viventem habet, vel consanguinei in linea recta, vel qui positivo impedimento inhabilis constituatur (uti sunt, conditio, consanguiuitas in linea obliqna, cognatio spiritualis, affinitas, crimen, cultus disparitas, ligamen). 2. Qnoad *contrahentes* plena rei cognitio, et libertas requiritur: ergo error *personae* quae ad contractus hujus substantiam pertinet; et vis ac timor externus, gravis, injustus, directns (atque in foeminis ex jure positivo *raptus*) matrimonium irritat. 3. *Quoad modum* contrahendi necesse est, ut mas et foemina consensum internum per externos actns sincere et perspecte invicem spondeat et acceptet. Imo omnes gentes, natnra duce, per solemnem quemdam ritum nuptias celebrarunt, quo conjugum, parentum et filiornm jura sarta tectaque forent. Hinc in Ecclesia catholica *impedimentum clandestinitatis*. Qnaeritur an matrimonium natura sua sit indissolubile ? Ex primariis matrimonii finibus cum D. Thoma concludendum, illud natura sua indissolubile esse saltem usque ad perfectam prolis edncationem. Inspecto autem solo naturali jnre Sanchez, Genuensis aliique censent, quae causae ceteros contractus dissolvunt, easdem matrimonium quoque dis-

solvere posse: 1. nempe in matrimonio rato et non consumato mutuum dissensum. 2. unius contrahentis infidelitatem seu adulterium jus dare innocenti dissolvendi matrimonium. 3. posteriorem perpetuam impotentiam ad officia conjugalia praestanda. Ceterum positiva lege divina et ecclesiastica sancitum est 1. Matrimonii rati et non consumati vinculum dissolvi, si unus saltem ad meliora vota transeat: 2. Ob adulterium unius, remanente vinculo, divortium perpetuum fieri ab innocente posse: ob alias vero causas ad tempus licere. 3. Matrimonii rati et consumati vinculum sola morte dissolvi. Mutua vero conjugum officia sunt fides immaculati thori et amicabile subsidium: erga prolem vero educatio tum physica, tum moralis: quae scilicet officia lex naturae de animi cultura, deque vitae statusque externi cura cuique praecipit, eadem in filios praestare parentes debent, quoad ipsi consulere sibi possint. Quapropter parentibus, et iis qui vel partem vel totum educationis munus suscipiunt, lex naturalis jus *patriae potestatis* tribuit, scilicet potestatem jurisdictionis in filios ad ea omnia, quae perfectam eorum educationem, ac domus suae gubernationem spectant. Eadem ergo naturae lege filii, quousque gubernatoris egent, omnimodam parentibus obedientiam praestare jubentur; amorem vero, gratum animum, reverentiam perpetuo eis exhibendam, atque in eorum necessitatibus subsidia referenda.

Haec breviter de conjugali statu, nunc autem *de caelibatu* dico, non solum ex indubio divinae revelationis oraculo, sed ex ipsa ratione certum esse, quod in consueta humanae speciei propagatione 1. cuilibet, qui prudenter, Dei gratia adjuvante, honestum vitae suae modum tenere posse confidit, licet caelibatum servare: 2. quin imo honesti caelibatus status multo praestantior est conjugali vita. Etenim quoad I. non demonstratur legem naturalem singulos homines matrimonium jubere: quia neque id eruitur ex procreandi aptitudine et propensione, quae jus quidem ineundi matrimonium unicuique concessum, non obligationem significat. Ne-

que eruitur ex humanae societatis indigentia; vel quia, ut nonnulli non immerito putant, voluntas Auctoris naturae de conservando humano generi non exigit praeceptum ullum positivum de matrimonio ineundo: posita enim physica lege ad procreationem vehementer impellente, satis esse videtur negativum praeceptum vetans quoscumque actus et concubitus a matrimonio alienos. Vel si praeceptum positivum adsit, ut communiter DD. censent, hoc humanam speciem, non singulos obligat, praeceptum inquam hujusmodi conditionatum foret: scilicet si quis non se continet, nubat; vel si societas egeat propagatione, et si indigentiae huic sine gravi incommodo succurri possit, neque ab aliis sufficienter ei satisfiat. Ergo ec. Praestantia autem caelibatus prae statu matrimoniali aperte patet, tam si in se consideretur ob virtutum omnium unionem et excellentiam, quam si consideretur relate ad alios. Mediocris enim hominum numerus, atque optima et generalis quoad religionem, bonos mores, bonasque artes cultura societati potissimum prodest. Cui rei honesti caelibes, qui ad res maximas in commune bonum gerendas aptissimi sunt, apprime satisfaciunt.

SECTIO TERTIA

DE CHARITATIS ET AMICITIAE OFFICIIS.

Omnia hominis jura vel *imperfecta* sunt, quibus officia charitatis, vel *perfecta*, quibus justitiae officia respondent. Haec constitunt in quadam proprietate aut facultate agendi, illa in ratione, quam cuique natura tribuit, opem ab aliis in suis necessitatibus postulandi et obtinendi. Ideo autem hujusmodi jura et respondentia officia imperfecta dicuntur, tum quia conditionata sunt, tum etiam quia qui immaniter renuat, eum non licet vi cogere ad auxilii officia praestanda. Haec autem

duplicis generis sunt 1. *humanitatis* seu *innoxiae utilitatis*, quae scilicet sunt iis utilia qui accipiunt, danti non molesta: 2. *beneficentiae*, quae cum quodam nostro incommodo praestamus. Iamvero certum est, quod lex naturalis praeter officia justitiae, charitatis etiam seu humanitatis ac beneficentiae officia jubet. Hoc in primis sequentia facta luculentissime ostendunt. 1. Naturae similitudo invicem indigentis. 2. energici et amicabiles sensus moralis motus omnium animis a natura dati. 3. Vera et solida utilitas, quae ex hac officiorum reciprocatione in universam societatem provenit. 4. Communis naturae sensus, quo homines inertes, avari, immisericordes abominationis odio habentur, quod contra fit de beneficis. Haec omnia ratiocinio confirmantur. Lex enim naturae, quae societatis conservationem prosperitatemque jubet, jubet etiam haec officia ad finem hunc necessaria. Societatis enim essentia in unione morali et amicabili consistit, quae unio et amicitia duo necessario exigit, primum ne cui noceatur, tum ut revera socii invicem amentur, ideoque pro viribus alienae indigentiae subveniatur. Ceterum haec officia alia universalia, indeterminata, et perpetua sunt, quibus praecipitur, ut in tota vita, aliquo modo communi utilitati serviatur: alia particularia, et determinata quoad tempus, personas, modum. Ut autem haec officia obligent, duo concurrere debent, vera necessitas in proximo, et vera in nobis facultas, qua ei sine relativo nostro incommodo subvenire possimus. Necessitas autem sive spiritualis sive corporalis potest esse *communis, gravis, extrema*. Necessitati extremae spirituali, dummodo certa juvandi spes adsit, nec gravius inde malum timeatur, omnia terrena bona posthabenda sunt: extremae autem corporali necessitati de superfluis non solum statui, sed vitae ipsi ex *justitia* subveniendum; quia jus dominii cessat: gravi autem necessitati de superfluis statui, licet cum aliquo incommodo, ex officio charitatis succurrere tenemur, communi denique indigentiae officia innoxiae utilitatis praestare adhortamur. Acceptis vero beneficiis *gratitudinis* debitum respondet, quae

consistit in ea animi dispositione et affectu erga beneficum, qua memores simus beneficii, eumque peculiari amoris significatione prosequamur, et data occasione gratiam ei referre simus parati. Officium hoc naturae sensu omnibus innotescit: quae enim natio non gratum animum et beneficii memorem diligit? Quae ingratos non aspernatur, non odit? Belluae quoque ipsae beneficiis mitescunt, et amoris sensum erga beneficos exhibent. Et re quidem vera si quoscumque homines ob naturae similitudinem amare debemus, qui vero nobis profuerunt, ii jus acquisitum habent, cui specialis amoris affectus respondeat, necesse est.

Praeter generalem benevolentiae consociationem inter homines a natura conglutinatam, est et alia praecellens ac particularis, quae *amicitia* nominatur; illa nempe amoris reciprocatio et animorum conjunctio ob ingeniorum et morum similitudinem ex libera electione inter duos aut admodum paucos inita ad eumdem finem conspirantes, quae varios habet gradus usque ad summum illum, in quo fiat *omnium divinarum humanarumque rerum cum benevola voluntate summa consensio*. In ea nihil turpe, nihil mercenarium, nihil simulatum, nihil languidum ac instabile; sed amicorum amor gratuitus, honestus, patiens in adversis ac fortis, sincerus, efficax et fidelis: omnia aperta, omnia inter amicos communia. Vera ergo amicitia nonnisi inter bonos esse potest: quia a virtute est et ad virtutem inclinat, atque ad ea quae summa sunt consequenda apprime adjuvat. Quare *amicus fidelis medicamentum vitae et immortalitatis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum*.

INDEX

TRACTATUS II. PARTICULARIS

DE OFFICIIS.

PARS PRIMA

DE OFFICIIS ADVERSUS DEUM

CAPUT I.

CAPUT II.

PARS SECUNDA

DE OFFICIIS ADVERSUS SEIPSUM

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

PARS TERTIA

DE OFFICIIS ADVERSUS ALIOS

SECTIO PRIMA

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

SECTIO SECUNDA

De justitiae officiis ac juribus hypotheticis

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

SECTIO TERTIA

De officiis charitatis et amicitiae

CAPUT I.

CAPUT II.

NIHIL OBSTAT - Iosephus Maria Canonicus Graziosi
Censor Theologus.
REIMPRIMATUR - Fr. Dom. Buttaoni O. P. S. P. A.Mag.
REIMPRIMATUR - I. Canali Patr. Constantinop. Vicesg.